DISPUTATIO

PHILOSOPHICO-LITERARIA

DE

DIAGORA MELIO.


INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

DISPUTATIO

O SOPHICO-LITERARIA

DE

AGORA MELIO.


INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANA
VE RI TAS
The Gift of
Mary Bryant Bran
in Memory of
William Fletcher
HARVARD COLLEGE

DISPUTATIO
PHILOSOPHICO-LITERARIA
DE
DIAGORA MELIO.

Roterodami, ex Typographiâ
J. Ph. Sterk.

DISPUTATIO
PHILOSOPHICO-LITERARIA
DE
DIAGORA MELIO

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doct. et Prof. Ord.

et

NOBILISSIMAE

FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

et LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE

et LITERARUM HUMANIORUM

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

defendet

Daniel Ludovicus Mounier

ROTERODAMENSIS.

A. D. IV APRILIS MDCCCXXXVIII, horâ XII—I.

ROTERODAMI, apud

VAN DER MEER & VERBRUGGEN.

MDCCCXXXVIII.

Parentibus Optimis

Sacrum.

Quis leget haec? .... Nemo.

Persius. Satyr. I. 2.

Praemonenda.

Sive laudis comparandae stimulo, sive muneris petendi necessitate sit motus, speciminis edendi legi ut obtemperet unusquisque necesse est. Quam ob causam in aperto literarum ambitu materiem elaborandam, nondum a viris doctis occupatam, meisque tamen viribus aequam, diu quaerenti magnus mihi nascebatur labor.

Tandem vero philosophorum rebus gestis, dictis et cogitatis mihi semper gaudenti, acceptissimus et elaboratione dignissimus videbatur DIAGORAS ille philosophus, qui Athei cognomine prae caeteris antiquis inclaruit. Hujus viri, quales aetas sua raros habuit, praeter duos tresve versus, nulla supersunt fragmenta. Ejus vitam ne Laërtius quidem scrip-

sit. Saepe veteres illum opportunitate datâ, at nullibi de industriâ laudant; recentiores, quos inter praesertim **Fabricius** et **Brucker** frequenter vero, sed cum aliis, tantum et obiter collocant; ejusque mentionem partim et brevissime absolvunt. Alii, sicut **Zimmerman**, in *Museo Bremensi*, Diagoram seorsum judicantes, operis tantum egerunt partem. **Bayle**, ne virum eruditum praetermittam, in *Lexico Historico Critico*, et **Meier** in opere, cui titulus *Allgemeine Encyclopedie*, de Diagora acute quidem et docte disseruerunt, sed non nisi brevem protulerunt conspectum, luminibus et haud spernendis animadversionibus instructum: quem qui omnibus numeris compleret et elaboraret nondum prodiit. Illius itaque Diagorae, inquam, vitam et philosophiam enarrare, et opibus aliorum hic illic disjectis adjutus illustrare conabor. E recentioribus tamen **Mariangeli Bonifacii a Reuten** *de Diagorae atheismo* scriptum me frustra sciscitantem huc usque latuit. Si quis in ejus scriptum incidit, precor, ut mei laboris inopiae ignoscat. Reliquorum vero subsidia non egenum me deseruere. To-

tam igitur Diagoream quaestionem, cujus cum veterum tum recentiorum alii aliam partem exposuerunt vel animadverterunt, colligere et integram peculiari condere libro, mihi libet; quod opus, non antea actum, mihi incipienti leve, elaboranti grave, absolventi jucundum fuit.

Conspectus Opusculi.

CAPUT VIII.

De causis, quas Diagoram atheismi notâ infecisse verisimile est.

CAPUT IX.

De Atheniensium in Diagoram decreto, illiusque morte.

Parentibus Optimis

Sacrum.

φυσικοί, quum jam Anaxagoras proxime antecesserit. *Diagorae Melii sectatores* memorat Hieronymus in Chronico Eusebiano; sed perperam, cum in Eusebii Graeco textu esset *οἱ περὶ Διαγόραν*, quod ex notissimo Graecismo reddendum erat *Diagoras*. Alterum Eusebii indicium est in Olymp. 78 anno 2: *Bacchylides florebat et Diagoras atheus:* quocum consentit Suidas in voce *Διαγόρας: ἤκμαζε τοίνυν οή Ὀλυμπιάδι*. Ex eo tamen Diagorae aetatem propemodum constituunt, quod Democritus Abderites, quem habuit praeceptorem, Olympiade circiter 86 floruisse perhibetur; Democritum vero natum esse Clinton Ol. 80 anno 1, alii Ol. 78 conjiciunt; obiisse Ol. 105 anno 4. Ipsum Diagoram Simonidi, Pindaro, et Bacchylidi aequalem fuisse, juvenem senioribus; Melanippidem vero aetate superasse, narrant Scholiastt. Aristoph. Ran. v. 323: *τὸν χρόνον κατὰ Σιμωνίδην καὶ Πίνδαρον*, et Suidas l. l. *τοῖς χρόνοις ὢν μετὰ* (alii *κατὰ*) *Πίνδαρον καὶ Βακχυλίδην, Μελανιππίδου δὲ πρεσβύτερος*. Postrema verba de Melanippide juniore intelligenda sunt, quippe qui paulo post Diagoram, sub Ol. 88 vel 90, teste Suida floruit. De Simonide et Pindaro idem testis est, hunc ab Ol. 65 usque ad Ol. 85 vitam produxisse; illum Ol. 56 vel 62 natum, obiisse Ol. 78.

Bacchylide vero Diagoras adeo non fuit posterior, ut potius antiquior fuerit illo, quem Eusebius in Chronicis ad Ol. 82 refert. 1)

Omnium maxime Lactantius erravit: *verum iis postea temporibus, quibus jam philosophia defloruerat, exstitit Athenis quidam Diagoras, qui nominatus est ἄθεος.* 2) Diversam tamen ejusdem loci lectionem, *exstitit* alius *quidam Diagoras*, caet. conferre licet cum Eudociae verbis, in *Ἰωνιᾷ: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Διαγόρας ἄθεος, ποιητὴς μελῶν· καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος λέγει, Ἀριστοφάνην αὐτοῦ μνημονεύειν.* 3) Binos autem Diagoras atheos exstitisse, quorum alter Aristophanis tempore poëta, philosophus alter longe posterior fuisset, post Epicurum et exstinctam philosophiam, non mihi vero simile videtur. Diagoram arbitror eundem esse poëtam ac philosophum, et Lactantium in designando tempore lapsum esse. Licet Clavier V. Erud. in opere, cui titulus *Bibliographie universelle*, Diagoram poëtam a philosopho discernat, propterea quod philosophi, quinquaginta annos post florentem poëtam, Athenis Ol. 91. an-

---

1) Cf. Kuster. Annott. ad Suid. l. l.

2) Lib. de Ira Dei c. 9.

3) Schol. Arist. Ran. v. 323, unde Eudocia locum desumsit.

no 2. damnati, mentio fit; illud quoque non argumenti valet auctoritate. Contra quidem e conciliatis, quae contraria videntur, indiciis, expedita nascitur definitio. Hoc nempe dimidiati seculi tempus esse suspicor, quod occupat tota Diagorae vita. Sic enim certior fit aetas Diagorae, quam si quis unius tantum anni meminerit, et nos nescios relinquat, utrum annus ille in viri juventutem an senectutem incidat. Quid igitur obstat, quo minus de Diagora jam sene judicium Athenienses tulisse statuamus? Nam post insequentem fugam, non amplius occurrit. Quo posito, idem ille Diagoras, annos ante L unâ cum Pindaro et Simonide memoratus, quamquam juvenis adhuc, jam poësi incumbere potuit.

§ 2. *De Diagorae patriâ.*

Diagoram *Τηλεκλείδου* vel *Τηλεκλύτου* filium Suidas et Hesychius dicunt, *Τηλεκλήτου* Schol. Aristoph: quibus variis ejusdem nominis formis unus tamen designatur homo; sicut eadem persona vel ab eodem scriptore *Σωκράτης* et *Σωσικράτης* vocatur, *Ἑρμότιμος* et *Ἑρμοτίμων*, *Ἀρχῖνος* et *Ἀρχίνους*, caet.

Patriâ Melium fere plerique Diagoram faciunt;

Athenis autem diu commoratum, ut novimus e Lactantii l.l., 1) Tatianus, 2) quem secutus est Vossius, 3) fortassis idcirco dixit Atheniensem. Diagoram quidem Milesium Plutarchus, 4) et post illum Eusebius, 5) Joannes Chrysostomus, 6) Theodoretus 7) et Eustathius 8) nuncupant; sed hunc potius descriptoris arbitror esse errorem, qualem frequenter e vitioso litterarum ductu, vel compendio *Μλιος* oriri, recte judicat J. Clericus. 9)

Jam autem, quoniam Meliorum res gestae saepe ita referuntur, ut unâ cum illis etiam Diagorae mentio fiat; ideo mihi neque ab hoc loco, neque a proposito alienum visum est, antequam ad alia progrediar, nonnulla de Meliis, utpote Diagorae popularibus, referre.

Insula Melos, hodie Milo dicta, e Cycladibus una, 10) primos a Phoenicibus acceperat colonos; quam sortem cum Graecarum insularum

1) Cf. p. 3.
2) Orat. c. Graec. p. 164. A.
3) De Histor. Graec. p. 197.
4) Plac. Phil. p. 880. D.
5) Praep. Evang. XIII.
6) Homil. in Epist. IV. ad Corinth. c. 5.
7) Therap. Graec. Sermon. III. p. 506. C.
8) Comm. ad Hom. Odyss. III. v. 381.
9) Artis. Crit. P. III. c. 2. § 5.
10) Steph. Byz. in voce. Plin. Nat. Hist. XLI. 23.

multis, Cycladibus Therâ, Delo, aliisque communem habuit. 1) Postea Lacones coloniam Amyclis illuc deduxerunt, 2) anno 700 ante Melon ab Atheniensibus obsessam; quod tempus si bene definitum est a Thucydide, 3) incidit in annum 288, ante primam Olympiadem, vel in annum 35, antequam Dores in Peloponnesum descenderint. Lacones igitur illi Melon inhabitantes ex aetate ante-Doriensi erant oriundi; verum constat, non adeo Dorienses Spartiatas, sed Achaeos potius Amyclis humanitatem et mores intulisse. Eodem ex oppido Minyae quoque Melon advenerunt. 4) Attamen Achaei Minyaeque, pariter ac Amyclienses ipsi, Spartiatis immixti, Dorienses facti sunt: nam Melos, donec ab Atheniensibus expugnata fuerit, semper, quatenus novimus, ostendit se Lacedaemoniorum coloniam haberi voluisse, et stabile cum his servavit foedus; 5) quorum partibus cum affinitas, tum vicinia Laconiae, Melios junxerat. Erumpente tamen

1) Thucyd. I. 8. Herodot. IV. 147. Pausan. Lacon. III. 1.

2) Conon. Narratt. 36.

3) Thuc. V. 112. πόλεως ἑπτακόσια ἔτη ἤδη οἰκουμένης.

4) Plutarch. Mul. virt. p. 247. C.

5) Thuc. V. 84, 104, 108. Xenoph. Hellen. II. 2. 2. Herod. VIII. 48.

bello Peloponnesiaco, neutri belligerantium parti Melos studuit, quum praeter Theram, reliquae Cyclades Athenarum agnoscerent imperium. 1) Hinc Ol. 88 anno 3 Athenienses Melios quoque foedere sibi adjungere frustra conabantur. 2) Insulam igitur armis aggressi, post longam obsidionem, Ol. 91 anno 1, proditione, potissimum vero fame, coëgerunt; unde vox λιμὸς Μήλιος in proverbium abiit. 3) Victores victos non propter laesam fidem, sed quod secum foedus inire noluissent, miserâ tractaverunt crudelitate. Meliorum nimirum viri adulti, quotquot victor nactus esset, interficiebantur: mulieres in servitutem plus licitantibus vendebantur; arva deinde quingentis Atticis Cleruchis occupanda tradebantur. 4) Alcibiades, quem cum aliis quibusdam hujus saevitiae praecipuum auctorem habuere, non veritus est e Meliis captivis pulchram secum abducere foeminam, quâcum moecharetur. 5) Melios, qui aufugerant, Lacedaemonii receperunt. Verum captis posthaec a Lysandro Athenis, plures inter Graecos indignatione commoti, Atheniensium im-

1) Thuc. II. 9.
2) Id. III. 91.
3) Schol. Ar. Av. v. 186 et 362.
4) Thuc. V. 116.
5) Andocid. c. Alcib. p. 23. ed. Reisk. Plut. Alcib. p. 199. B.

manitatem graviter ulti sunt; 1) omnesque superstites Melii, auctore Lysandro, fundos et alia ipsis erepta bona recuperasse videntur. 2)

---

1) Xenoph. Hell. ll. Isocrat. Panath. p. 485. C. et Panegyr. p. 120. A.

2) Plut. Lysand. p. 441. A. Xenoph. II. 2. 5. Hell.

Caput II.

§ 1. *De Diagorae Praeceptore.*

Cuinam doctori discipulus, cui scholae socius annumerandus sit Diagoras, de his magnopere scriptores ambigunt. Diagoram, ait Suidas l. l. εὐφυᾶ θεασάμενος Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης, ὠνήσατο αὐτὸν δοῦλον ὄντα μυρίων δραχμῶν, καὶ μαθητὴν ἐποιήσατο. Decem millia drachmarum! immane pretium servi quantumvis ingeniosi solvendi, 1) quod nobis in mentem revocat honorarium Isocratis, qui item 10,000 drachmarum pro rhetoricâ institutione poscebat a singulis discipulis. Servum autem eodem constitisse pretio, quo tanti rhetoris institutionem, credere nequeo.

Brucker in illâ Eleaticae sectae classe, quae

1) Cf. Böckh. Statshaush. v. Athen. T. I. p. 73.

physice de rerum naturâ disserebat, cum Leucippo, Democrito, Protagora ponit Diagoram. 1)

Democriti, cum medicinae tum philosophiae operam dantis, Diagoram Melium servum et discipulum, non dubito eundem facere cum Diagora Medico, quem Plinius saepe laudat in librorum indicibus. 2) Atheum nostrum atheismi famam physicae et medicinae studio partim debuisse, auguror e noto proverbio: *decem medici, novem athei.* Cyprium fuisse Meursius ait, 3) ubi Erotiani in Lexic. Hippocr. locum affert: *Διαγόρας δὲ ὁ Κυπριός φησι, τὰ προαιρετικὰ νεῦρα περόνας αὐτὸν καλεῖν:* quod gentilitium nomen fortasse non magis urgendum est, quam illud *Ἀθηναῖος* Tatiani. 4) In Dioscoridis libri IV c. 65: *Ἐρασίστρατος μέν τοι Διαγόραν φησὶν ἀποδοκιμάζειν αὐτοῦ τὴν χρῆσιν ἐπὶ τῶν ὠταλγικῶν καὶ ὀφθαλμιώντων, διὰ τὸ ἀμβλυωπὲς εἶναι καὶ καρωτικόν:* unde constat Diagoram, de quo loquitur, pariter ac Melium, ante Erasistrati, qui Antiochi medicus erat, et Ol. 121 anno 1 floruit, 5) tempora vixisse.

---

1) Hist. Crit. phil. T. I. p. 1143.

2) Fabric. Bibl. Gr. VI. 9. 4. Cf. Dan. Cleric. Hist. Medic. L. II. c. 6.

3) Bibl. Gr. T. III. p. 1271. D. 4) Cf. p. 3.

5) Vid. Simson. Chronic. anno 3712.

Diagoras vero, cui Lynceum epistolas de rebus cibariis, piscibus, vinis aliisque plurimas misisse refert Athenaeus, 1) nullo cognomine insignis est, et, ut Melius sit, vetat ratio temporis. Lynceus enim Samius, Duridis frater, familiaris erat Theophrasti Peripatetici, teste Athenaeo et Suida. 2) Post hunc igitur, de quo nunc agimus, centum fere annos vixit.

§ 2. *De Diagorae Operibus.*

E tenuibus argumentis, quae Suidas et Hesychius in libro, de viris eruditione et humanitate claris, exhibent de Diagora, hujus operum jactura instaurari non potest. Juniore tamen aetate, quod supra jam diximus, poësi incubuit: *ὁ δὲ τῇ λυρικῇ ἐπέθετο,* 3) *ἀσμάτων ποιητὴς* erat, et *μελῶν.* 4) Ad colendam poësin Diagoram hortari quidem potuit Crito civis et aequalis, qui cum patre suo Melanippide, et filio, nomen avi gerente, in lyricis et

1) III. p. 109. D. VII. p. 285. F. 295. A. 330. A. XI. p. 499. C. XIV. p. 647. A. 652. D. 654. A.

2) Vid. Jonsius. L. II. c. 2. p. 123.

3) Hesych. Cf. Meurs. Bibl. Gr. T. VII. p. 230.

4) Suid. et Schol. Ar. Av. v. 323.

in primis dithyrambicis gloriam comparaverat. Eadem fortasse, quae Simonides, Pindarus et Bacchylides, quibuscum collocatur, poëseos genera tractavit. Praeterea composuit *ἐγκώμια*, in Arianthis Argivi, caeterum ignoti, laudem; in honorem Nicodori Mantineënsis alterum; tertium ad Mantineënses ipsos. Quae carmina nullam impietatem prodere potuisse constabit e sequentibus. Religionis enim contemtu vel irrisione neque Pindarus, neque Horatius, lyricorum principes, tantos plausus captassent. Poëta fuit Diagoras *τὸ πρῶτον γενόμενος ὡς εἴ τις καὶ ἄλλος δεισιδαίμων.* 1) Praesertim audiendum est Philodemi testimonium, asseverantis de Diagora: *ἐν δὲ τῇ ποιήσει κατ'ἀλήθειαν ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι τοῖς ὅλοις, οὐδ' ἐν ἀσεβὲς παρενέφ(αι)νεν, ἀλλ' ἔστιν εὔφημο(ς), ὡς ποιητὴς εἰς τὸ δαιμόνιον, καθάπερ ἄλλα τη* (lege *τε*) *μαρτυρεῖ καὶ τὸ γεγραμμένον εἰς Ἀριάνθην τὸν Ἀργεῖον·*

Θεὸς, θεὸς πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου νῶμα
φρένα ὑπερτάταν. lege *νωμᾷ φρέν' ὑπ.*

καὶ τὸ εἰς Νικόδωρον τὸν Μαντινέα·

Κατὰ δαίμονα καὶ τύχαν τὰ πάντα βροτοῖσιν ἐκτελεῖται. τὰ παραπλήσια δ'αὐτῷ περιέ(χει· καὶ)

---

1) Sext. Empir. adv. Math. p. 318. A.

τὸ Μαντινέων ἐγκώμιον. 1) Secundum fragmentum reperitur quoque apud Sext. Empir. l. l. qui sic pergit: ὅς γε καὶ τῆς ποιήσεως ἑαυτοῦ κατήρξατο τὸν τρόπον τοῦτον· κατὰ δαίμονα καὶ τύχην πάντα τελεῖται. 2) Diagoram vero in isto Nicodori hymno Fortunae commemoratione magnum spectare cultum, quo Τύχη apud Melios fruebatur, ut e numismatibus conjiciunt, non est quod credamus.

Eandem sententiam et alii cum philosophi tum poëtae iisdem fere verbis enuntiant vel illustrant. Plato, de Legib: ἀλλὰ γὰρ ὁμοίως αὖ καὶ τόδε ἔστι λέγοντα εὖ λέγειν ἐν τοῖς αὐτοῖς τούτοις. — τὸ ποῖον; — ὡς θεὸς μὲν πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα. 3) Sic Plato Deo primas partes commendat, et comitem administramque Fortunam adjungit. Plebi contra Fortuna habebatur Dea: καλῶς οὖν καὶ Φιλήμων ὁ κωμικός· οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία τύχη

---

1) In Herculanens. Ed. Drummond and Walpole. Lond. 1810. p. 164. Litteras uncis inclusas supplevit Academia Porticorum.

2) Hunc ad locum Fabricius animadvertit: κατὰ δαίμ. κ. τύχ. significare *divinam fortunam*, et locutionem esse ἓν διὰ δυοῖν dictam, qualis pluries occurrit; ex. g. in Demosth. Orat. c. Olymp. κατὰ τύχην τινὰ καὶ δαίμονα.

3) L. IV p. 709. B.

θεός. 1) In Stobaeo Jamblichus ait: *βέλτερον οὖν (οὕτως) ἀφορίζεσθαι ἡ τύχη· (ἡ) τῶν πλειόνων* (lege *κρειττόνων*) *τάξεων ἢ καὶ ἄλλων δή τινῶν, ἣ* (lege *ἡ*) *ἔστιν ἔφορος καὶ συναγωγὸς αἰτία, πρεσβυτέρα τῶν συνιόντων, ἣν ποτε μὲν θεὸν ἐπικαλοῦμεν, τότε δὲ δαίμονα παρειλήφαμεν.* 2) Alibi: *πάντα δὲ γίγνεται φύσει καὶ εἱμαρμένῃ, καὶ οὐκ ἔστι τόπος ἔρημος προνοίας.* 3) Itaque e laudatis Fortunae definitionibus patere censeo, non visam fuisse illam philosophis omnia temere et perpetuo moderantem, omnibusque potestate praestare; qualem in *Jove confutato* Lucianus ostendit: *μηδὲν εἶναι τύχης καὶ εἱμαρμένης δυνατώτερον.* 4)

Inter Comicos etiam Diagoras recensetur ab Harlesio, 5) ex auctoritate Schol. Ar. *Διθυραμβοποιὸς ὁ Διαγόρας ποιητής, συνεχῶς Ἴακχε, Ἴακχε ᾄδων, ἢ κωμικὸς διθυραμβικὰ, τουτ' ἔστι Διονυσιακὰ δράματα ποιῶν;* 6) Ita Scholiastes Aristophaneum versum,

ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον, ὥςπερ Διαγόρας,

interpretari voluit; quam comici lectionem corrup-

1) Clem. Alex. Strom. V. p. 609. D.

2) Eclog. Phys. II. 8. ed Heeren.

3) Id. I. 20.

4) § 3. ed Hemsterh.

5) Fabr. Bibl. Gr. T. II. p. 136. ed. Harl.

6) Ad. Ran v. 323.

tam esse contendit Albertus. 1) Vetat praeterea comoediae semper praesentibus rebus illudentis ratio, ne Comicus viri, quatuordecim annos post fugam, quum jam silentio premeretur, nomen ex oblivione excieret: nam Ranae Ol. 93 anno 3 in scenam productae sunt. 2) Commentario tamen, quamvis ad veram lectionem male accommodato, ceteroquin vera narranti, fidem igitur denegare non opus est. Dithyrambos fecisse Diagoram refert etiam Sext. Empiricus l. l. Dithyrambica autem et Dionysiaca, quibus celebrabatur Bacchus, carmina erant audacis argumenti, et lege solutâ. *Διθυραμβικὸν θράσος* ait Eustathius. Talia qui tractabant non in terris morabantur, sed sublimibus ferebantur cogitationibus; hanc ob rem Suidas scribit: *περὶ μετεώρων καὶ τῶν νεφελῶν λέγουσι πόλλα·* et Aristophanes alicubi dicit, nubes dithyrambicos poëtas alere; unde

---

1) Ap. Hesych. Lexic. Annot. in voc. *Διαγ:* Critici enim, inquit, antiqui in illo Aristophanis loco *δι᾽ἀγορᾶς* legebant: Jacchum enim mystae *in foro* canebant. Addit autem Hesychius: *διὰ τὸ τοὺς μύστας βακχάζειν,* (quod Aeschylus *ἰακχάζειν*) *τουτ᾽ ἔστιν, ᾄδειν τὸν Ἴακχον δι᾽ ἀγορῶν* Cf. Demosth. c. Midiam: *καὶ πάλιν Ἵππαρχον ὀρχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς ταῖς πομπαῖς.*

2) Vid. Sam. Petit. Miscell. L. II. c. 14.

proverbium: *οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὅς ὕδωρ πίνῃ.* Itaque subit mihi suspicio, Diagoram, Dionysiacorum libertate et ardore correptum, in comoediis dithyrambicis nonnulla Bacchi, cujus cum Cerere juncti sacra simul Eleusi fiebant, offendisse sacra; quod perhibent Athenagoras, 1) et Libanius: *τὴν γὰρ Ἐλευσῖνα, καὶ τοὺς ἀῤῥήτους ἐκωμῴδει τελετάς.* 2) Frequenter quidem Dithyrambici, nec non Diagoras a Comicis et Aristophane traducuntur. 3)

Inter libros ab illo conscriptos referendi sunt ejus Phrygii sermones, quorum nil nisi titulus superest in Tatiani Orat. c. Graec. Horum verbo duntaxat hic meminisse oportet, propterea quod Fabricius illos fabularum Aesopicarum collectionem existimat: 4) certe constat *λόγους φρυγίους* dici, ut *φρύγιον αἴνιγμα*, apud Maximum Tyrium, ab Aesopo Phryge. 5) Fabulam de Mida *φρύγιον λόγον* vocat Nazianzenus. 6) Theo progymnasm: *καλοῦνται δὲ Αἰσώπειοι (μῦθοι) καὶ Λιβυστικοί, ἢ Συβαριτικοί τε καὶ Φρύγιοι.* 7)

---

1) Legat. pro. Christ. p. 5. A. 2) Socr. Apol. p. 679. C. D.
3) Vidd. Aves. v. 1383. 4) Bibl. Gr. II. 9. 6.
5) Dissert. XXXIII. 6) Orat. XX. p. 331. C.
7) Etiam a Socrate fabulas Aesopi versibus expressas memorat praeter Platonem in Phaedone, et Plutarchum in libro

Neque obstat, sic pergit Fabricius l. l. quod Hesychius et Suidas notant, in illo Diagorae scripto parum reverenter tractatos esse Deos, nam hoc in fabulis etiam fieri potuit. — Hanc postremam Fabricii de Diis tractatis opinionem post haec uberius perpendemus, et plura de Phrygiorum sermonum argumento disseremus, quum ad Diagoreae philosophiae disquisitionem pervenerimus. 1)

Denique viri dicta, quibus capiti finem faciam, memorare juvat. Servatum est unum in Anecdotis Graecis, Edit. Boissonnade; Diagoras, scilicet invidum videns moerentem, dicebat: ἢ τούτῳ μέγα κακὸν συμβέβηκεν, ἢ ἄλλῳ μέγα ἀγαθόν. Hoc dictum Stobaeus et Laërtius Bioni tribuunt; et in libello, cui titulus Γνῶμαι κατ' ἐκλογὴν κ. τ. λ. adscribitur Democrito. 2). Et alia, quae Diagoras, omisso tamen cognomine, acute respondisse dicitur, in eâdem Sententiarum collectione, p. 30. inveniuntur: nempe ὁ αὐτὸς ὀνειδιζόμενος ἐπὶ τῷ βαρβαρίζειν,

---

de aud. poët. Diog. Laërtius. II. 42. ἐποίησε δὲ καὶ μῦθον Αἰσώπειον, οὐ πάνυ ἐπιτεταγμένως, οὗ ἡ ἀρχή·

Αἴσωπος ποτ' ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι
μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

1) Cf. cap. VII. §. 1.

2) Ed. L. R. Beynen. in Specim. Acad. Lugd. Bat. 1837. p 29.

ἔφη, ἐγὼ μὲν τῷ λόγῳ, ὑμεῖς δὲ τῷ τρόπῳ. Non tamen verosimile, Diagoram hujus rei causâ reprehensum esse, ait Editor, multo minus Aristotelem, cui haec verba in Cod. Fl. Damasc. adscribuntur. Sine dubio ad Anacharsidem referenda, sicut Stobaeus facit. — Diagoras etiam ὀνειδιζόμενος, ὅτι δίκην ἔχων ἐμισθώσατο ῥήτορα, ἔφη, καὶ γὰρ ὅταν δεῖπνον ἔχω, μάγειρον μισθοῦμαι. Facit Editor cum Laërtio, qui haec verba Aristippo tribuit: melius enim illi convenire videntur, quam Soloni, secundum Cod. Fl. Damasc. vel Diagorae secundum nostrum cod. — Refertur quartum illius bene dictum: ὅστις φίλον λυπούμενον ἔφυγεν, οὐ δὲ τοῦ χαίροντος ἀπολαύειν ἐστὶν ἄξιος. 1)

1) Verbum ἀπολαύειν etiam malâ significatione usurpari, monet Wyttenbach in Epist. Crit. super locis nonn. Juliani ad Ruhnken. in Opusc. I. 22.

Caput III.

§ 1. *De Diagora Mantineënsibus leges ferente.*

E Philodemi de Diis scripto, in Herculaneis codicibus invento, compertum est, Aristoxenum, celebrem Peripateticum *ἐν τοῖς Μαντινέων ἔθεσι* satis fuse de Diagora locutum esse. 1) Hujus in hoc libro commemorandi opportuna sane fuerit occasio, si cogitamus arctissimum vinculum, quo Diagoras et praesertim Nicodorus Mantineae legislator

1) Hic Aristoxeni de Moribus Mantineënsium liber cum titulo nobis demum e Philodemo cognitus est; utrum integrum per se constituat opus, an sectionem tantum faciat alicujus a G. L. Mahne V. Cl. in diatribe de Aristoxeno p. 19 enumeratorum librorum, dijudicare non ausim: ejusmodi tamen argumenti scriptum in libro *νόμων πολιτικῶν* vel in *ἱστορίαις* et *ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι* non idoneo carere loco videtur.

cum Mantineënsibus erant juncti. Id, quum ex eo, quod Diagoras hymnos in Nicodori et Mantineënsium laudem composuit, 1) jam manifestum est; novimus insuper ex Aeliani Variis Historiis, alterum alteri valde devinctum fuisse. Scilicet: *Νικόδωρος δὲ ὁ πύκτης ἐν τοῖς εὐδοκιμωτάτοις Μαντινέων γενόμενος, ἀλλὰ ὀψὲ τῆς ἡλικίας, καὶ μετὰ τὴν ἄθλησιν, καὶ νομοθέτης αὐτοῖς ἐγένετο, μακρῷ τοῦτο ἄμεινον πολιτευσάμενος τῇ πατρίδι τῶν κηρυγμάτων τῶν ἐν τοῖς σταδίοις. Φασὶ δὲ αὐτῷ Διαγόραν τὸν Μήλιον συνθεῖναι τοὺς νόμους, ἐραστὴν γενόμενον.* 2) et *Εὐνομωτάτους γενέσθαι καὶ Μαντινέας ἀκούω, οὐδὲν ἧττον Λοκρῶν, οὐδὲ Κρητῶν, οὐδὲ Λακεδαιμονίων αὐτῶν, οὐδ' Ἀθηναίων.* 3) His narratis talem adjicit sententiam: *εἶχόν τι καὶ περαιτέρω ὑπὲρ Νικοδώρου εἰπεῖν· ὡς δ' ἂν μὴ δοκοίην καὶ τὸν ἔπαινον τὸν τοῦ Διαγόρου προςπαραλαμβάνειν, εἰς τοσοῦτον διηνύσθω τὰ τοῦ λόγου. Θεοῖς γὰρ ἐχθρὸς Διαγόρας, καὶ οὔ μοι ἥδιον, ἐπὶ πλεῖστον μεμνῆσθαι αὐτοῦ.* Huic igitur lepido capiti, tam male pio, culpae dandum est, nulla fere legum ab illis sapienter latarum monumenta ad nos permansisse.

Aristoteles etiam de quodam Diagora loqui-

---

1) Cf. p. 12. 2) II. 23. 3) Ib. 22.

tur, qui Eretriae oligarchiam Equitum dissolverit, ob injuriam, quam in rebus nuptialibus passus esset: τὴν ἐν Ἐρετρίᾳ δ'ὀλιγαρχίαν τὴν τῶν ἱππέων Διαγόρας κατέλυσεν, ἀδικηθεὶς περὶ γάμον. 1) Quando factum sit, neque dicitur, atque ne vix quidem indagari potest. Meier hoc evenisse statuit diu ante Eretriam, Ol. 72 anno 3 a Persis vastatam: 2) nam, ait, ad priora tantum tempora pertinet Equitum in Euboeâ dominatio. 3) Fulleborn contra plus 119 annos serius quam Meier, et 36 annos post nostri Diagorae vitam, i. e. Ol. 103 anno 2 rem accidisse conjicit. 4) En ipsius verba latine reddita: « Non equidem dubito, quin sub Equitum nomine intelligantur Hippobotes, qui, sicut Aristoteles l. mox l. et Herodotus V. 77 de Chalcidensibus tradunt, optimates et ditissimi erant. Sed quis ille Diagoras fuerit, et qualem injustitiam tulerit, non reperire potui. Quum vero sub Aristotelis circiter aetatem Philippus Macedo Chalcide et Eretriae et per totam Euboeam tyranniculos crearet, ut Themisonem et Clearchum inter ipsos Eretrienses, quorum adjumento totius insulae sen-

---

1) Polit. V. 5. 2) Allgem. Encycl. in voc. Diag. p. 445.

3) Vid. Aristot. Pol. IV. 3.

4) Animadv. in Arist. Polit. a Chr. Garve German. versam. T. II. p. 368.

sim potiretur, non verisimilitudine caret, Philippum in his perpetrandis Diagora quoque adjutore usum esse.»

Itaque docti Meier et Fulleborn quaestionem ne ex indiciis quidem historiae illustrare possunt; quorum temporis argumenta, quum alter alterius evertit, meae conjecturae non obstant. Sic a refellente securus non vereor Diagoram, se rebus Eretriensium civilibus immiscentem, eundem facere cum eo, qui Mantineënsium civitatem ordinarit. Quod ut credam, suadent mihi duo Heraclidis Pontici et Suidae testimonia; nam statuam narrat Heraclides, Eretriae cives, fortasse ut viri memoriam grato ánimo prosequerentur, posuisse Diagorae Corinthi mortuo; 1) nostrumque Melium Corinthi mortuum esse, testatur etiam Suidas.

§ 2. *De Mantineënsium civitate.*

Operae huicce aliquantulum sane pretii me facere puto, si Mantineënsium, quorum Diagoras fuit amicus, res breviter enarrem. — Inter antiquissimas

1) In Polit. Graec. Vid. Gron. Thes. Ant. Gr. VI, p. 2828. T. Cf. cap. IX. in fine.

urbes Arcadiae habebatur Mantinea; 1) sed quinque, quibus constabat, pagi, quorum jam olim nobilissima fuisse perhibebatur, verisimiliter post Persicum bellum, et quidem Argivorum operâ, in unam demum civitatem redacti sunt. 2) Κωμηδὸν autem habitata Mantinea Aristocratico utebatur regimine; verum jam statim tantâ sapienter instituti moderaminis famâ vigebat, ut Cyrenaei, quum, regnante Batto III, cognomine claudo, bello civili laborarent, et ad Pythiam vatem confugerent, ex urbe Mantineae moderatorem arcessere jussi sint. Mantineënses deinde Cyrenaeis poscentibus Demonactem miserunt, qui, simulac Cyrenen appulisset, novam classium fecit distributionem, regio muneri nil nisi nomen et reditus reliquit, summamque contra regi ademtam potestatem totam transtulit ad populi concionem. 3) Hic etiam tunc temporis, Ol. 57 annum inter 3 et Ol. 62 annum 4, praeter Aristocratiam, populi concionem jam magni fuisse ponderis, credere oportet; dummodo Herodotus non fallatur, 4) et verbi δῆμος sensum bene interpretemur. Nam omnino Demonactem arbitror, in rebus Cyrenaeorum constituendis, juxta Mantineënsium in-

---

1) Polyb. II. 56. 2) Strab. VIII. 337.
3) Thrige Res Cyrenens. p. 145. sq. 4) Herod. V. 61.

stitutionum rationem egisse. Demonactem quoque nomen ostendere videtur generis esse jam antiquitus popularia sectantis. Propter Mantineae synoecismum imperii quidem forma democraticae simillima fuerit, sed non adeo, ut in reipublicae desciscentis vel auxiliantis censenda sit causis. Mantineënses enim, ut bello Persico Graecorum causam adjuvabant, sic Lacedaemoniis etiam fidi manserunt, quum inter Ol. 75 annum 1 et Ol. 78 annum 4 reliqui Arcades apud Dipaeam iis obsisterent. 1) Ita quoque exardente bello Peloponnesiaco democraticam Mantineam Lacedaemoniorum partibus faventem videmus. 2) Interea hocce temporis spatio callide utebantur, ad ditionem augendam et Arcadiae partem subigendam. 3) Verum praevidentes, Lacedaemonios, simulac non amplius Attico bello essent impediti, ipsos in agrorum nuper acquisitorum quietâ possessione non relicturos esse, hanc ob causam Ol. 89 anno 3 a foedere Spartae transierunt in foedus cum Argo, cui mox accessit Elis, et aliquamdiu Corinthus. 4) Quum Lacedaemonii nunc progrederentur in urbes Parrhasias, Mantineënsibus subjectas, iisque sui juris esse

1) Herod. IX. 35. Paus. Lacon. III. 11.

2) Thuc. II. 9. III. 107. Paus. VIII. 6. Diod. Sic. XV. 12.

3) Thuc. IV. 134. V. 29. 4) Ibid.

et libertate frui concederent; tum Argos, Elis et Mantinea cum Atheniensibus Ol. 89 anno 4 foedus in seculum pepigerunt. 1) Orchomenios socii cogebant accedere foederi; 2) sed consilium Tegeae quoque a Lacedaemoniorum societate detrahendae eodem anno clades apud Mantineam evertit. 3) Rebus itaque tam male gestis, et Argivis contrarias partes sequentibus, Mantineënses etiam, Ol. 90 anno 4 cum Spartiatis hac lege pacisci cogebantur, ut ipsi dedititias urbes suis immunitatibus donarent. Tunc demum in triginta annos induciae factae sunt. 4) His autem durantibus Lacedaemonii Mantineënses, quorum crescentem potentiam metuebant, muros diruere jusserunt. Quod cum recusaretur, exercitu misso Mantineam post longam obsidionem ceperunt et vastarunt. Incolas adegerunt ad quinque veteres pagos inhabitandos, in quibus ita dispergerentur, ut non diutius unam civitatem, sed quinque segregatas et invicem disjunctas communitates efficerent, quarum singulis suum Xenagum praeficiebant. 5) Uti Metropolis democratiam usurpaverat,

---

1) Thuc. V. 47. 50. 2) Id. V. 61. Diod. Sic. XII. 79.
3) Thuc. V. 10. 19. Diod. Sic. l. l.
4) Thuc. V. 82. Xenoph. Hell. V. 2. 2.
5) Xenoph. ibid. et sqq. Plato Sympos. p. 193. A. Diod. Sic. XV. 27. Paus. Arcad. VIII. 8.

sic in pagis penes nobiles erat dominatio, ad Leuctricum praelium usque, quando, imperatore Epaminonda, unâ cum Arcadiae restaurato capite, democratia quoque iterum obtinuit 1.)

Non ulterius historiam Mantineae persequar, ne nimis a proposito aberrem. Stante republicâ erant Mantineae, praeter alios magistratus, *βουλή*, *δημιουργοί*, *θεωροί*, *πολέμαρχοι*. 2) Ex Aristotele patet, penes civium concionem de rebus civilibus arbitrium fuisse, exemtis optionibus; quam optionem magistratuum non ab universo populo, sed ab electoribus fieri solere, qui ex omnium civium medio deinceps sumebantur. 3)

Mantineënsium indolem novimus plurimum quidem Arcadicae dissimilem fuisse; frigidus enim et asper aër, duraque humus Arcades quâdam affecerat duritate, quae, bono duce, informando militi prodesset. Mantineënses et Arcades, ait Edhorus, artem militarem emendavere, ita ut ipsius adhuc tempore militum vestitus et vetus armatura ab inventorum nomine Mantineënsis appellaretur. Pugnandi scientia primum Mantineae, et quidem a Demea, certamen vero singulare a Demonacte demonstrabantur

---

1) Xenoph. Hell. V. 5. 4. sqq. 2) Thuc. V. 47.
3) Polit. VI. 2. 1.

1). Ex Arcadiâ omnes Graeci potissimum milites mercenarios conducebant 2). Jam Hercules Arcades habuisse videtur in belli sociis. Sed nihilominus certam morum ruditatem et ingluviem contraxerant: scientiarum rudem esse non illis videbatur esse dedecori. Musice contra non luxuriei neque mollitiei gratiâ, sed animi leniendi jam a teneris exercebatur, et amplioris erat ambitus quam alibi. Ad trigesimum usque annum ejus exercitatio discebatur, et in musices arte reliquis postponi magnum habebatur opprobrium. Verum illa musice religionem egregie spirabat, ita ut saepissime simplicitas Arcadum et pia mens praedicetur 3.)

Cum hac Mantineënsium civitate publicam, verum etiam cum legislatore Nicodoro privatam Diagoras contraxit amicitiam: vitae quidem partem illic degisse creditur. Nicodori leges non antea, quam Synoecismus obtinuisset, 4) esse latas, ex eo fere certum est, quod populari rationi essent accommodatae.

§ 3. *Num Athei legislatio prodesse possit.*

Ingenio Mantineënsium jam statim consentane-

1) Athenaei L. IV. p. 154. D.

2) Thuc. VII. 57. Xenoph. Hell. VII. 1. 12.

3) Polyb. V. 20, sq.

4) Cf. p. 24.

um habebitur, ut hominem impietate infamem non sibi appropinquantem, nedum leges ferentem, tolerasssent. Licet Plutarchus nomothetam atheum praeferat superstitioso et paene fanatico, quum ait: *τὶ δὲ Καρχηδονίοις οὐκ ἐλυσιτέλει Κριτίαν λαβοῦσιν ἢ Διαγόραν νομοθέτην ἀπ᾽ ἀρχῆς μήτε τινὰ θεῶν, μήτε δαιμόνων νομίζειν, ἢ τοιαῦτα θύειν οἷα τῷ Κρόνῳ ἔθυον;* 1) contendat quoque **Bayle**, quocum certare nolim, atheum quidem bonum civem et patriae studiosum existere, et bonas conscribere leges posse: 2) hoc tamen ad concedendum nunquam adducar, viri scilicet, qui palam atheismum profitetur et divulgat, Deum Deique cultum ridet, leges apud plebem stabiliri et probatas fieri posse, neque tantam gloriam auctori, quantam Diagorae, comparare. **Brucker** Baylium, acutissimum atheismi atque disertissimum defensorem, nodos in scirpo quaerere ait, et, cum admiratio subiret, hominem deos tollentem potuisse tam egregias leges condere, in eandem sententiam, quam Fabricius verisimillimam judicavit, propensus erat, illum, cum Mantineam legibus ordinaret, in impietatem nondum publice fuisse prolapsum. 3) Causas autem, quas ajunt Diagoram

---

1) De Superst. p. 171. B. C.

2) Lexic. Crit. in voc. Diag. Not. H.

3) Fabr. Bibl. Gr. II. 14, 18. Cf. Harlesii annot.

posthaec ad immutandam opinionem impulisse, quatenus in censum veniant, suo loco dijudicabimus. 1)

Omnino tamen adversus hanc Baylianae pro atheismo apologiae partem legi meretur Warburton, qui, Dissert. XIII, sic opinatur: omnes nomothetas uno consensu connixos esse ad stabiliendam et alendam religionem; persuasum enim habebant, tum meditatione tum rerum usu, quam utilis esset humano generi: *τῆς δὲ οὖν περὶ θεῶν δόξης καὶ παντάπασιν ἡγεμόνες καὶ διδάσκαλοι γεγόνασιν ἡμῖν οἵ τε ποιηταὶ καὶ οἱ νομοθέται, καὶ τρίτον οἱ φιλόσοφοι, τὸ μὲν οὖν εἶναι θεοὺς ὁμοίως τιθέμενοι.* 2) Nam atheismi doctrina ejusmodi est, ut societatem divellat. Primus igitur cujuscunque legislatoris conatus erat, ut multitudini fidem faceret, quodam Deo promulgato, cujus e singulari patefactione leges et reipublicae peritiam edoctus esset. Exordiebantur a notissimo *ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα.* Hoc est Zaleuci legum prooëmium: *Τοὺς κατοικοῦντας καὶ τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρή, καὶ νομίζειν θεοὺς εἶναι, σέβεσθαι δὲ τούτους καὶ τιμᾶν.* 3) Testes sint porro Minos, Lycurgus et Numa, qui plebis credulitate prorsus utebantur:

---

1) Cf. cap. VI. § 1. 2) Plut. in Amat. p. 763. C.

3) Stobaei Serm. 42. p. 279.

ἀλλὰ μὴν — διὰ τάξεως τῶν νόμων, πρῶτον ἐστὶν ἡ περὶ θεῶν δόξα καὶ μέγιστον, ῇ καὶ Λυκοῦργος Λακεδαιμονίους καὶ Νουμᾶς Ρωμαίους, καὶ Ἴων ὁ παλαιὸς Ἀθηναίους, καὶ Δευκαλίων Ἕλληνας ὁμοῦ τοὶ πάντας καθωσίωσαν, εὐχαῖς καὶ ὅρκοις καὶ μαντεύμασι καὶ φήμαις, ἐμπαθεῖς πρὸς τὰ θεῖα δι' ἐλπίδων ἅμα καὶ φόβων καταστήσαντες. — ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι. 1) Bonas leges et laude dignas atheismo inimicas esse, neque ab atheo ferri posse, propterea quod Deorum fide nituntur, significat etiam Plato: *θεοὺς ἡγούμενος εἶναι κατὰ νόμους οὐδεὶς πώποτε οὔτε ἔργον ἀσεβὲς εἰργάσατο ἑκὼν, οὔτε λόγον ἀφῆκεν ἄνομον. — Ἀξιοῦμεν δὴ, καθάπερ ὑμεῖς ἠξιώκατε περὶ νόμων, πρὶν ἀπειλεῖν ἡμῖν σκληρῶς ὑμᾶς, πρότερον ἐπιχειρεῖν πείθειν καὶ διδάσκειν ὡς εἰσὶ θεοί.* 2) Diagoram vero propter legum sapientiam et prudentiam de Mantineënsibus bene meruisse, ne iste quidem parum diligens et sagax Aelianus negare potuit. 3)

---

1) Plut. adv. Colot. p. 1125. D. E.

2) De Legib. L. X. p. 885. D. 3) Cf. p. 20.

Caput IV.

De Diagora Athenis commorante.

Diagoras postquam, nesciunt quando, Mantineam reliquisset, Athenas se contulit. De tempore quo illuc advenerit, non audiendus est Scholiastes ad Ar. Av. v. 1073. *οὗτος μετὰ τὴν ἅλωσιν Μήλου ἐν Ἀθήναις ᾤκει·* (Nisi pro *μετὰ* legendum sit *κατὰ*.) Aliud in eundem versum scholion, quamvis contraria referens: *ἐκκεκήρυκται μάλιστα ὑπὸ τὴν ἅλωσιν Μήλου· οὐδὲν γὰρ κωλύει πρότερον*, haud secus errare videtur; de hujus errore dicere differo. 1) Diagoram vero diu ante Ol. 91 annum 1, quo Melos expugnata est, 2) Athenas venisse, constat ex Aristophanis Nubibus, Ol. 89 anno 2 in sce-

1) Cf. cap. IX. 2) Cf. p. 7.

nam iterum productis: 1) nam v. 828 gentilitium Diagorae nomen inservit opprobrio: neque tantam acquirere famam, nisi praesens in urbe, potuisset. Erat igitur Athenis, quum Ol. 89 anno 3 Athenienses seculare foedus cum Argo, Elide et Mantineâ feriebant, (belli Peloponnesiaci anno 10,) quod foedus tamen Lacedaemonii Ol. 90 anno 4 sustulerunt. 2) Fortasse jam Athenas devenit, nondum flagrante bello Peloponnesiaco; quod si verum est, nil mirarer, quin viderit Diagoras Protagoram et Anaxagoram, quorum hic Ol. 88 anno 2 mortuus est, ille Ol. 85 anno 1 comdemnatus: nec non Prodicum invenerit Ol. 86 clarum, et Gorgiam, qui Ol. 87 anno 4 Athenas legatus venit.

Ne tamen nimis mature Diagoram Athenas venisse statuamus, et illic jam Aeschyli aetate, 43 annos ante Melum captam, innotuisse et inclaruisse, quod suspicatur Blomfield V. D., ut probet, in Agamemnonis fabulae, (Ol. 80 anno 2 actae,) versu 362 ad Diagoram Melium respici:

οὐκ ἔφα τις θεοὺς βροτῶν
ἀξιοῦσθαι μέλειν,
ὅσοις ἀθίκτων χάρις
πατοῖθ᾽· ὁδ᾽οὐκ εὐσεβής.

---

1) Vid. Sam. Petit. Misc. I. 6. 2) Cf. p. 25.

Immerito temporis rationem ad suum consilium torsisse videtur. Versus enim, in quo non urgentius, quam in sexcentis, Diagorae peculiare quiddam latet, nullius fere ponderis est argumentum, ad tot annos movendos.

In Socratis autem tempora incidisse Diagorae adventum, tempus docet: illum Ol. 78 anno 1 natum aetate superabat. Socratem Diagorae quidem discipulum fuisse, conjicit sagacissimus Bayle e Schol. Arist. Nub. v. 828: Ἀρισταγόρου γὰρ τοῦ Μηλίου μαθητὴς ὁ Σωκράτης. Significat porro Scholiastes, Socratem, propterea quod ejus magister Aristagoras unâ cum civibus Meliis, Diagorae causâ, male audiebat, impium et contumeliosum haberi. Sic per longas et ineptas ambages incedere oportet, ad explicandum acumen Melii cognominis, quo dedecoratur Socrates. Rectior expediendi via patet, si Socratem Diagorae, non Aristagorae auditorem esse emendamus. Nomen Aristagorae in scholiis male commutatum videtur. Neque Diogenes Laërtius, neque Commentatores usquam Aristagorae Melii ne verbo quidem meminerunt. Praeterea, quaecunque Scholiastes et Suidas de Aristagora narrant, nempe dithyrambicum fuisse et Eleusiniis insultasse, prorsus ad Diagoram esse referenda, e sequentibus luce clarius patebit.

Athenis etiam in circulis Atomisticorum et Sophistarum Diagoram versatum esse, et cum illis collocutum, credere convenit. A nonnullis quidem, ait Krug, Sophistarum numero adsciscitur. Talem illum memorat Libanius: λέγει τοίνυν τὴν πρὸς τοὺς Σοφιστὰς τούτων ὀργὴν, τὸν Ἀναξαγόραν, τὸν Πρωταγόραν, τὸν Διαγόραν. 1) In Suidae variâ lectione dicitur Diagoras σοφιστὴς ἢ φιλόσοφος. 2) Forsitan et horum familiaritate, et in utramque partem disputandi consuetudine delectatus, eam calluit artem loquendi, quam dicit Joann. Chrysostomus: καὶ Διαγόρας ὁ Μιλήσιος (lege Μήλιος) καὶ Διόδωρος (l. Θεόδωρος) ὁ λεγόμενος ἄθεος — εἶχον δύναμιν τὴν ἀπὸ τῶν λόγων, καὶ ἐπὶ φιλοσοφίᾳ ἐθαυμάζοντο, κ. τ. λ. 3)

1) Apol. Socr. p. 679 B. 2) Cf. Edit. Gaisford.
3) Loco p. 5 laud.

Caput V.

Antequam ad Atheismum, Diagorae crimini datum, aggrediamur explorandum, non abs re puto, strictim et universe de atheismo veterum nonnulla praefari; quidnam scilicet ex opinione vulgi fuerit, et quales sic dicti athei exstiterint. Hujus rei causam ex altiore origine, superstitione nimirum, repetamus, necesse est: *οἱ δὲ φεύγοντες ὥσπερ ἕλος τὴν δεισιδαιμονίαν, ἔλαθον αὖθις, ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα.* 1)

§ 1. *De Superstitione.*

Ex inscitiae nocte, quâ uniuscujusque populi incunabula fuerant offusa, superstitio mihi videtur

1) Plut. de Is. et Osir. p. 378 A.

3 *

oborta. Hominos enim, quorum rationis vis, non exercitata, jacet, et animus, quidquid sensus afficiat, statim amplectitur, a quovis et quoversus ignari se duci patiuntur. Exsurgat modo vates, omnia secum rapiens, cui *quidlibet fingendi semper fuit potestas*, qualis inter Graecos Homerus, qui sicut *πᾶς ποιητὴς ψυχαγωγίας μᾶλλον ἢ ἀληθείας ἐστὶ στοχαστής.* 1) ejus commenticios deos, quorum dudum desideratorum vulgus jam prolepsin habebat, 2) credit et adsciscit: *οὗτοι δὲ* (Homerus et Hesiodus) *εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.* 3) Sublimiorem poëtae sententiam, quum *βαθύτερος νοῦς ἐγκεκρυμμένος τοῖς ἔπεσιν* est, ut ait Plutarchus, non intelligit turba, sed a teneris jam decepta specie delectatur, et imaginibus inhiat: *ὁ γὰρ νέος οὐχ οἷός τε κρίνειν ὅ, τι τε ὑπόνοια, καὶ ὅ, τι μή.* 4) Sic nationis de Deorum natu-

1) Agatharch. C. 5. apud Photium. p. 1332. Ed. Hoeschel.

2) Cf. Cic. de Nat. Deor. I. 17. et Dion. Chrys. Or. XII. p. 201 A. *περὶ δὲ θεῶν τῆς τε καθόλου φύσεως, καὶ μάλιστα τοῦ πάντων ἡγεμόνος πρῶτον μὲν καὶ ἐν πρώτοις δόξα καὶ ἐπίνοια κοινῇ τοῦ ξύμπαντος ἀνθρωπίνου γένους.*

3) Herod. II. 53.

4) Plat. Rep. L. II. p. 378. D.

râ, quibus adhaeret, opiniones, ipsius indoli concinentes et perpetuâ traditione servatae, soliditatem non impune tentatam nanciscuntur. Populum autem, hac sorte hisque affectibus utentem, quum legislator vel princeps legibus et societate componere velit, caveat ne jam assuetos mores laedat; atque omnino ne religionis invalescentem sensum offendat. Quam ob rem si virtute, consilio et auctoritate caret, quibus opus est ad veritatem cum vulgari pietate conciliandam, tum callidus ille civilium studiosus superstitione male utetur. Hoc modo laborem legislator et poëta inter se dispertiuntur: *τῆς δὲ τοιαύτης ὑπολήψεως τὴν μέν τινα ἑκουσίαν καὶ παραμυθητικὴν φῶμεν· τὴν δὲ ἀναγκαίαν καὶ προστακτικήν· λέγω δὲ τὴν τοῦ μὲν ἑκουσίου καὶ παραμυθίας ἐχομένην, τὴν τῶν ποιητῶν· τοῦ δὲ ἀναγκαίου καὶ προστάξεως τὴν τῶν νομοθετῶν.* 1) Cum sacerdotibus praesertim foedere facto, credulam populi mentem sacris praestigiis, Deorumque, quos ipse nihili facit, timore coërcebit; plebi nimis hebeti, quam ut animo Deum intueri valeat, corporeas commendat imagines, quibus oculos pascant: *ἄλλοι δὲ πάλιν, οὐδὲν ὑπὲρ τὰ ὁρώμενα νοῆσαι δυνηθέντες, ἀλλὰ τοῖς αἰσθητοῖς τὸν νοῦν ἐγκαθείρξαν-*

1) Dion. Chrys. Or. XII. p. 205. B.

τές, τὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς εἰς θεωρίαν προκείμενα θεοὺς προςηγόρευσαν. 1) Sic

Idola conflavit fallendi docta potestas. 2)

Sophocles etiam, ut Hecataeus historicus in eo, quem de Abramo et Aegyptiis conscripsit, libro refert, haec palam vociferatur e scenâ:

Θνητοὶ δὲ πολλοὶ, καρδίαν πλανώμενοι,
ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν,
θεῶν ἀγάλματ᾽ ἐκ λίθων, ἢ χαλκέων,
ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους.
θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
στέφοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν. 3)

Talem igitur religionem, e sensibus fallacibus et e commentis procreatam, cujus argumento et finibus ea tantum inserviunt, quae manu tractari possunt, ejus esse naturae, ut nil nisi superstitionis alimentum eliciat, nullus inficias ibit. Poëtarum fabulae, eo quod placent, auctoritatem assequuntur: φιλήδονοι εἰσιν οἱ Ἕλληνες· ἃδ᾽ ἂν ἀκούσωσιν ἡδέως τινὸς λέγοντος, ταῦτα καὶ ἀληθῆ νομίζουσι. καὶ τοῖς μὲν ποιηταῖς ἐπιτρέπουσιν ὅ, τι ἂν θέλωσι ψεύδεσθαι, καὶ φασιν ἐξεῖναι αὐτοῖς, ὅμως δὴ πιστεύουσιν οἷς ἂν ἐκεῖνοι λέγωσι, καὶ μάρτυρας

1) Theodoret. de Provid. Or. I. p. 321. D.
2) Prudentius c. Symmach. II. 48.
3) Euseb. Praep. Ev. XIII. p. 680. D.

αὐτοὺς ἐπάγονται περὶ ὧν ἀμφισβητοῦσι. 1) Pictores, sculptores, aurifices, similesque superstitionem illos alentem, alebant ipsi: εἶτα (οἱ δὲ δεισιδαίμονες) χαλκοτύποις μὲν πείθονται καὶ λιθοξόοις καὶ κηροπλάσταις, ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ σώματα εἶναι, καὶ τοιαῦτα πλάττουσι καὶ κατασκευάζουσι καὶ προσκυνοῦσι. 2) Vates, harioli et astrologi victum ex eo comparabant, quod vulgus, portentis territum, coeli stellis candentis admiratione captum, et metaphysicae nescium, stellas, quasi θέοντας θεοὺς vocabat, quos consulere et affari cupiebat: φαίνονται γάρ μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους ἡγεῖσθαι θεούς, οὕσπερ νῦν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην καὶ γῆν, καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν· (ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως, τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς ἐπονομάσαι. 3) Sic error rebus et commodis sceleste callidorum et stolide piorum innitebatur, quorum nimirum intererat, et qui primum illis obstantem devotione plectebant, et tanquam omnibus infensum promulgabant.

Nil igitur mirum est, viros, qui solertiore, quam vulgus, ingenii fruebantur acumine, Deos populares

---

1) Dion. Chrys. Or. XI. p. 162. C.

2) Plut. de Superst. p. 167. D.

3) Plato in Cratylo. p. 397. C. D.

impugnando, multorum momentum et populi mentem laesisse; quod parricidio quidem patriae fere par habebatur, et gravibus periculis et molestiis obnoxium erat. Nam hoc ausu rerum, quo semel erant constitutae, totus ordo corruisset. Turba vero horum tantum deorum, qui tollebantur, conscia, hujusque facinoris causam quum non ignorare non posset, virum, *ὃς οὐκ ἐνόμιζεν, οὓς ἡ πόλις νομίζει, θεούς*, necessario flagitiosis impii et athei nominibus inficiebat. 1) Nec minore populi duces odio philosophos usque insectabantur: *φιλόσοφον μὲν ἄρα πλῆθος ἀδύνατον εἶναι· καὶ τοὺς φιλοσοφοῦντας ἄρα ἀνάγκη ψέγεσθαι ὑπ' αὐτῶν, καὶ ὑπὸ τούτων δὴ τῶν ἰδιωτῶν, ὅσοι προσομιλοῦντες ὄχλῳ ἀρέσκειν αὐτῷ ἐπιθυμοῦσι.* 2)

Soli sapientes autem, meditatione mysticarum imaginum et avitarum fabularum originem vel absconditum sensum investigare pollebant; cujus scientiae utilitatem Clemens Alexandrinus his verbis valde praedicat: *χρησιμώτατον ἄρα τὸ τῆς συμβολικῆς ἑρμηνείας εἶδος εἰς πολλά· καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν συνεργοῦν καὶ πρὸς εὐσέβειαν, καὶ πρὸς ἐπίδειξιν συνέσεως, καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν*

1) Xenoph. Memor. I. 1. 2.

2) Plato. Rep. L. VI. p. 494. A.

καὶ σοφίας ἔνδειξιν· σοφοῦ γὰρ τὸ χρῆσθαι τῇ συμβολικῇ φράσει, δεξιῶς φησιν ὁ γραμματικὸς Δίδυμος, καὶ τὸ γνωρίσαι τὸ διὰ ταύτη δηλούμενον. 1)

Sed primaevae veritatis involucra secundum naturae rationem explicare, poëtas sic interpretari, et adhuc multitudini inaudita loqui, porro crassam tollere speciem, quam populus amplectebatur, et pro religione habebat, plurimis infelicissime successit; nam similia perpetrare audacis erat. Talem quoque doctrinam qui coram juvenibus profitebatur, juventutem corrumpere insimulabatur, et complures exilio vel morte luerunt.

Id demonstrare conabimur ex argumento nonnullorum, qui unâ cum Diagora dicti sunt athei, vel aliorum, qui suspecti habebantur atheismi.

§ 2. *De nonnullis atheismi nomine famosis.*

Lysippi Epirotae Catalogus τῶν ἀσεβῶν laudatur in Scholiis ad Apoll. Rhod. Aliam atheorum veterum enumerationem exhibet Fabricius. 2) Hac de re legantur omnino Reiman et Buddeus, quo-

---

1) Strom. V, p. 569. A.

2) Bibl. Gr. II. 23. 16. in Annot.

rum hic in Thesibus de Atheismo, ille in Atheismi historiâ conscribendâ, diligentem operam posuerunt. —

Hos inter, quibus atheismus crimini datus est, primum prodeat; magis rerum quam temporis ratione habitâ,

Prodicus Ceus, 1) qui de naturâ rerum scripsit, 2) et ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit; 3) *Πρόδικος δὲ ὁ Χῖος* (alibi *Κεῖος*, quod verius) *Ἥλιον, φησι, καὶ Σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ κρήνας καὶ καθ' ὅλου πάντα τὰ ὠφελοῦντα τὸν βίον ἡμῶν οἱ παλαιοὶ θεοὺς ἐνόμισαν, διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν· καθάπερ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον· καὶ διὰ τοῦτο τὸν μὲν ἄρτον Δήμητραν νομισθῆναι, τὸν δὲ οἶνον Διόνυσον, τὸ δὲ ὕδωρ Ποσειδῶνα, τὸ δὲ πῦρ Ἥφαιστον, καὶ ἤδη τῶν εὐχρηστούντων ἕκαστον.* 4) Prodicum corrumpendae juventutis accusatum, Athenis, haustâ cicutâ, mortuum esse, narrat Suidas in voce.

Anaxagoras Clazomenius, qui et Atheus cognominatus est, 5) Athenis cum viris, re civili et

---

1) Vid. Geel Hist. Soph. 2) Cic. Orat. II. 32.

3) Cic. N. D. I. 42.

4) Sext. Emp. adv. Math. p. 311. C. D. Cf. p. 39.

5) Iren. adv. Haeres. II. 14.

eruditione claris, versabatur. In omnibus, quae demonstrabat, meram naturam et altioris physicae rationem secutus, ut procreatricem et moderatricem mundi mentem informaret, non facere potuit, quin saepius superstitionem, tunc temporis vigentem, adortus sit. Solem enim, ne Athenienses pro Deo colerent, μύδρον διάπυρον declarabat. 1) Neque credulitati pepercit, quum Homericae poeseös figuras et arcanum sensum interpretaretur. Thaletis etiam opinionem, *aquam omnium rerum esse initium, Deum autem eam esse mentem, quae ex aquâ cuncta fingeret,* 2) Homerus allegoricis condidisse verbis videtur, quum ait:

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν. 3).

Anaxagoram quidem non eo progressum esse suspicor, ut merito diceretur populares deos ad inanitatem detrusisse; sed jam satis erat, ad civium indignationem commovendam, quod Athenienses istis scrutationibus et scrutatoribus non essent consueti; ita ut invidentibus et insidiantibus facillimum esset, Anaxagoram ejusque amicos impietatis rumore obruere. Hinc illius fama: ἐπεὶ καὶ τὴν ὑφ' ἡμῶν ταύτην κληθεῖσαν φιλοσοφίαν εἴτις βούλοιτο κακί-

1) Cyrill. c. Julian. VI. p. 189. E.

2) Cic. N. D. I, 10. 3) Iliad. XIV. v. 201.

ζειν, πόλλ' ἂν ἔχοι παράγειν ἐν τοῖς λόγοις. οἷον εἰ Διαγόρου κατηγοροίη καὶ Ἀναξαγόρου. 1) Sic etiam Pericles et Aspasia in suspicionem inciderunt, se vulgarem religionem contemnere; et Thucydides, inquit Marcellinus, auctore Antyllo, ἤκουσε δὲ διδασκάλων, Ἀναξαγόρου μὲν ἐν φιλοσόφοις, ὅθεν καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη, τῆς ἐκεῖθεν θεωρίας ἐμφορηθείς. Diopithes autem facile populum ad plebiscitum excitavit, cujus decreto designabantur ii, qui populares deos denegabant, et in sublimibus naturae prodigiis inquirendis curam consumebant. 2) Deinde Thucydides major aut Cleon, vel uterque simul in civitate Periclis adversarii, Anaxagorae causam impietatis intenderunt apud judices, his causis lege praefectos, qui decertationem judicio heliastico reliquerunt; sed jam statim, ne aufugeret, reum in carcerem condiderunt. Coram judicibus Pericles amici praeceptorisque causam tuitus est, sed frustra; neque magni oratoris patrocinium, neque miser aegrotantis senis aspectus, ne poenam daret, efficere potuerunt. Anaxagoras non mortis quidem supplicium passus est, quod accusator postulabat, sed tamen, vix majore suffragiorum

1) Aristides de Rhetoric. T. III. p. 101.

2) Plut. in Pericle p. 169. D.

superante numero, quinque talentorum mulcta ei irrogata est. Quam cum propter paupertatem solvere non posset, iterum in carcerem dejiciebatur, quâ turpissimâ sorte afficiebantur peregrini. Verum Periclis opibus adjutus liberatus est, et Lampsacum se contulit. Sic diversi de his commentarii conciliandi videntur. Nam judicium, quod Diog. Laërtius de Anaxagora factum comminiscitur, significasse quinque talentorum damnum et exilium, eoque magis, quod Olympiodorus, Ostracismum, discrepat ab Attico more. Nam ostracismus de civibus tantum, non de peregrinis habebatur; et exilium φυγή, quod insuper bonorum publicatio sequi solebat, idcirco non simul cum irrogatione mulctae fieri poterat.

Protagoras Abderites, Democriti discipulus et magister Prodici, Sophistes temporibus illis vel maximus erat, et auctor disciplinae, quâ discipulos docebat, orationis artificio causam infirmiorem facere fortiorem, quam rem Graece ita dicebat τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. 1) Protagorae reipublicae gerendae scientiam, et veri falsique κριτήριον, et rerum dijudicandarum mensuram, quam statue-

1) Gellius Noct. Att. V. 4.

bat ipsum hominem esse, 1) hoc loco non est quod referam. Atheismi et impietatis arguitur apud Ciceronem, 2) Lactantium, 3) et Valerium Maximum. 4) De Diis vero talem enuntiavit sententiam: *περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔτε ὡς εἰσὶν, οὔτε ὡς οὐκ εἰσίν*. 5) Hanc in principio posuerat libri sui, fortasse de Diis, quem tamen Laërtius, in *σωζομένοις αὐτοῦ βιβλίοις*, non laudat: nam, ne superstites manerent, Atheniensium jussu libri ejus in concione combusti, et apographa, in circulis trita, vox praeconis a singulis deposcit. 6) Hoc Protagoreum placitum, quamvis tantum viri dubitationem contineat, poenam effugere non potuit. Nam Atheniensium jussu atque concione illum ex urbe et agro exterminatum esse, tradunt Cicero. l. l. Laërtius et Lactantius. Sed contra Josephus et Cyrillus dicunt Protagoram, capite damnatum, fugâ evasisse: *Πρωταγόρᾳ* (male legitur *Διαγόρᾳ*, nam hujus mentio post hanc proxima sequitur) *δὲ γεγραφότι περὶ*

1) Plato Theaet. p. 152. A. 2) N. D. I. 23.

3) De Irâ Dei c. 9. Instit. Div. I. 2.

4) I. 7. ubi perperam pro Protagora legitur Diagoram.

5) Diog. Laërt. IX. 51.

6) Idem narrat Lactantius l. l. et Minutius Felix in Octavio; ubi in nonnullis editionibus *deriserint* prave legitur pro *deusserint*.

θεῶν, ἃ μὴ τοῖς ἀκροωμένοις εὖ ἔχειν ἐδόκει, δυσσεβείας ἐπῆγον γραφὴν, μικροῦ καὶ διόλωλεν, εἰ μὴ φθάσας ὤχετο πρὸς ἑτέρους τὴν (l. τῶν) Ἑλλήνων ἀφείς. 1) Sequentia Sextus Empiricus adv. Math. θάνατον αὐτοῦ καταψηφισαμένων τῶν Ἀθηναίων, διαφυγὼν καὶ κατὰ θάλατταν πταίσας, ἀπέθανε.

Meminit autem hujus historiae Timon quoque Phliasius, in secundo libro eorum, quos inscripsit *Σίλλους*, i. e. Sales seu Scommata, haec referens:

θεοὺς κατέγραψεν
οὔτε εἰδέναι οὔτε δυνάσθαι, ὁπποῖοί τινες εἰσὶ
καὶ οἵτινες ἀθρήσασθαι, πᾶσαν ἔχων φυλακὴν
ἐπιεικείης.
τὰ μὲν οὐ οἱ χραίσμησ' ἀλλὰ φυγῆς ἐπεμαίετο,
ὄφρα μὴ οὕτως
Σωκρατικὸν πίνων ψυχρὸν ποτὸν, αἴδι δύῃ.

Protagoram, ex Epiro in Siciliam parvâ cymbâ navigantem, mari submersum esse, narrant quoque Laërtius 2) et Philostratus. 3)

Socrati eandem etiam Atheismi notam calumniatores inurere voluerunt; eamque ob causam Aristo-

1) Cyr. c. Jul. VI l. 1. 2) II. 55.
3) In Vitâ Protag. p. 498. C.

phanes, quem ipsum atheum fuisse non dubitat Muretus, 1) Socratem Melium vocat. 2) Praeter jam hujus cognominis expositam significationem, 3) dissentiunt interpretes. Palmerius contendit nomen *Μήλιος* distinguendum esse a Socrate, et, interpositâ virgulâ, tres induci personas *Σωκράτης, ὁ Μήλιος καὶ Χαιρεφὼν*, qui Melius erat Diagoras. Sic saepe *ὁ Σταγειρίτης* pro Aristotele dicitur, *ὁ Κιττιεὺς* pro Zenone. 4) Minime sapit Suidae interpretatio: *ἢ μήλιος, ὥς τινες ἐδέξαντο, ὁ τὰς τῶν εἰσιόντων ψυχὰς ὀξύνων πρὶν εἰσελθεῖν ἠγριωμένας. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων θήρων· μῆλα γὰρ τὰ θρέμματα· οἱ δὲ εἰς τὸ δασὺ καὶ αὐχμηρὸν νοοῦσιν αὐτό.*

Sed ne longius in hoc versu explicando moremur; in aliis etiam Aristophanes Socratem perstringit, quem Nub. v. 246 sic loquentem facit:

---

1) Var. Lect. X. 17.

2) Nub. v. 828. Vid. Aelian. II. 13. 3) Cf. p. 33.

4) Corrupti sunt Stephani Byzantini codices, in voce *Μῆλος*, qui Aristophanem faciunt Melium: *ὁ πολίτης Διαγόρας ὁ Μήλιος, καὶ Σωκράτης καὶ Ἀριστοφάνης·* quae sic fidenter corrigenda sunt: *καὶ Σωκράτης ὡς Ἀριστοφάνης* scil: *ἔφη*. Cf. Pinedo in Annott. ad Steph. Byz. vel *καὶ Σωκράτης Ἀριστοφάνει*, quod mavult Sam. Petit. Misc. I. 5.

ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ
ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι.

v. 366. ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσῃς, οὐδ' ἐστὶ Ζεύς.

v. 1479. Exclamat Strepsiades:

ὅτ' ἐξέβαλον καὶ τοὺς θεοὺς διὰ Σωκράτη.

Suppetunt et alia testimonia, quibus impietatis culpam viro, veterum sapientissimo, constat objectam esse: nam Deorum artifex esse, novos effingere, antiquos spernere et juventutem corrumpere immerito dicebatur. 1)

Quamvis ipse Socrates palam confitendo, καὶ αὐτὸς ἄρα νομίζω εἶναι θεοὺς, καὶ οὐκ εἰμὶ τὸ παράπαν ἄθεος, οὐδὲ ταύτῃ ἀδικῶ, 2) totam diluit culpam, livorem tamen et improbitatem judicum vincere non potuit: καὶ ὁ μέγας δὲ Σωκράτης, καὶ πάντων τῶν περὶ αὐτοῖς φιλοσοφίᾳ κρατῶν, διὰ τοῦτο κώνειον ἔπιεν, ἐπειδὴ ἐν τοῖς περὶ θεῶν λόγοις μικρόν τι παρακινεῖν ὑποπτεύετο. 3)

E Cyrenaicâ scholâ prodiit THEODORUS, qui Zenonem Cittieum audivit, fere saeculo posterior Diagorae. Hunc nullum agnovisse Deum, dicit Plutarchus, 4) et Cicero. 5) Dei tamen praenotionem

1) Diog. Laërt. II. 39. Plato in Euthyphrone p. 9. B.

2) Plato Apol. Socr. p. 26. C.

3) Joan. Chrys. l. l.

4) Theodoret. Ther. Gr. Serm. III. l. l.

5) N. D. I. 23.

non prorsus sustulisse Theodorum, sed Dei tantum naturam interemtui obnoxiam credidisse, auctor est idem Plutarchus: *οἱ γοῦν ἄθεοι προσαγορευθέντες οὗτοι, Θεόδωροι καὶ Διαγόραι καὶ Ἵππωνες οὐκ ἐτόλμησαν εἰπεῖν τὸ θεῖον, ὅτι φθαρτόν ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἐπίστευσαν, ὡς ἔστι τι ἄφθαρτον· τοῦ μὲν ἀφθάρτου τὴν ὕπαρξιν μὴ ἀπολείποντες· τοῦ θεοῦ δὲ τὴν πρόληψιν φυλάττοντες.* 1) Receptas vero de Diis opiniones fere cunctas evertit; et Laërtius refert, se librum invenisse, a Theodoro de Diis conscriptum, e quo dicitur Epicurus plurima, quae doceret, desumsisse. 2) Hoc fortasse in libro Graecorum theologiam callide labefactavit: *καὶ Θεόδωρος ὁ ἄθεος.... ὁ μὲν διὰ τοῦ περὶ θεῶν συντάγματος τὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησι θεολογούμενα ποικίλως ἀνασκευάσας.* 3) Audiatur etiam Lactantii judicium: *Cyrenaeus Theodorus, quia nihil novi poterat reperire, omnibus jam dictis et inventis, maluit contra veritatem id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant.* 4) Non recte tamen judicasse mihi videtur Lactantius: neque enim omnia jam dicta erant et inventa, neque Theodorus, quando gentiles fabulas negabat, veritati de-

---

1) Adv. Stoic. p. 1175. A. 2) II. 97.

3) Sext. Emp. adv. Math. p. 319. A.

4) De irâ Dei c. 9.

trectavit: *κωλύει γὰρ οὐδὲν, καὶ θεῶν ὄντων, ὅμως τὰ τοιαῦτα ψευδῆ εἶναι.* 1) Eadem docere, quae philosophi antea dicti, aetatis superstitio supplicio mortis illum prohibuit. Nam, quamvis Athenas delatus, et Areopagi judicio damnatus, Demetrii Phaleraei, tum inter Athenienses potentissimi, auxilio evaserit; tamen lege eum damnatum ob atheismi culpam, hausto veneno, tandem periisse, Amphicrates, apud Laërtium, auctor est. 2)

Euemerus ille, veteribus passim memoratus, patriâ quis fuerit, incertum: Lactantius 3) et Eusebius 4) enim ex Siciliâ Messenium faciunt, Clemens et Arnobius Agrigentinum, 5) Plutarchus Tegeaten. 6) Floruisse temporibus Cassandri f. Macedoniae regis, ex eo patet, quod gratissimus ei fuit, ejusque auspiciis et voluntate itinera longinqua in Oceanum Australem suscepit. Insulam praecipue Panchaiam perlustravit, ibique Jovis Triphylii columnam vidit, et, inscriptas ei, res illius Dei gestas legit. Hujus itineris casus, ab ipso Euemero descriptos, et ex ejus opere fragmentum de rebus fabulosis

---

1) Lucian. in Philopseude § 10. Ed. Hemsterh. 2) II. 101.
3) de Falsâ Relig. c. 11. 4) Praep. Ev. II. p. 59. B.
5) Adv. Gent. IV. 23. 6) Pl. Ph. p. 880. D.

excerpsit Diodorus Siculus in Bibliothecae libro VI; cujus libri deperditi hanc partem ad nostra tempora servavit Eusebius. 1) Ex illis titulis inscriptionibusque sacris, quae in antiquissimis templis habebantur, Euemerus res gestas Jovis et ceterorum, qui Dii putabantur, collegit, historiamque contexuit. 2) Cunctam hanc disquisitionem, non fabulosâ garrulitate, sed historicâ diligentiâ factam, 3) condidit libro, cui titulus fuit ἱερὰ ἀναγραφαι vel ἀντίγραφα ἀπίστου καὶ ἀνυπάρκτου μυθολογίας. 4) Ad hunc librum contemtim alludit Callimachus Cyrenaeus in Jambis:

εἰς τὸ πρὸ τείχους ἱερὸν ἀλέες δεῦτε,
οὗ τὲ πάλαι χάλκεον ὁ πλάσας Ζᾶνα,
γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχει. 5)

Opinionem de Diis, quam in scriptis Euemerus tuetur et vulgat, hanc referunt auctores: Jovem

1) l. l. 2) Lactant. l. l.

3) Augustin. de Civit. Dei. VI. 7.

4) Plut de Is. et Osir. p. 360. A.

5) Plut. Pl. Ph. l. l. Pro ψύχει autem, quod in vulgatis editionibus habetur, Bentleius legit ψήχει, *radit*, *exarat*, *scribit*. Deinde ex χάλκεον (quod huic loco minime convenit nam Euemerus non aeneum sed carneum sane Jovem finxit, quem cum ceteris meros homines fuisse tradidit) haud vanâ conjecturâ facit Bentleius παγχαῖον, quod scribebant παγχέον. Cf. Callim. Fragm. 86.

scilicet et ceteros hujus generis reges fuisse, non Deos; 1) aut fortes, aut claros, aut potentes viros, qui post mortem ad Deos pervenerant, eosque esse ipsos, quos veteres colere, precari, venerarique solebant; 2) Deos nil aliud esse quam belli duces naviumque praefectos, et reges, qui jam priscis temporibus vixissent, 3) *Εὐήμερος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς ἄθεος, φησίν, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος, οἱ περιγενόμενοι τῶν ἄλλων ἰσχύι τε καὶ συνέσει, ὥστε πρὸς τὰ ὑπ' αὐτῶν κελευόμενα πάντας βιοῦν, σπουδάζοντες μείζονος θαυμασμοῦ καὶ σεμνότητος τυχεῖν, ἀνέπλασαν περὶ αὐτῶν ὑπερβάλλουσάν τινα καὶ θείαν δύναμιν, ἔνθεν καὶ τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθησαν θεοί.* 4) Hos libros injuria temporis delevit, praeter fragmenta quaedam ab Ennio versa, quae collegit Columna in Ennianis fragmentis. Hanc enim historiam Ennius Italo sermone secutus est et interpretatus; 5) cujus haec verba: *Jupiter Neptuno imperium dat maris, ut insulis omnibus, et, quae essent secus mare, locis regnaret.* 6) — Deos igitur, quales habebat civitas, humanâ conditione usos et mortuos esse, opinabatur Euemerus;

1) Augustin, l. l. 2) Cicero N. D. I. 42. Arnob. l. l.
3) Plut. de Is. et Os. l. l.
4) Sext. Emp. adv. Math. p. 311. B.
5) Cic. et Arnob. l. l. 6) Lactant. l. l.

nam illorum mortes et sepulturas demonstrabat. 1) Forsitan et Cretensis Jovis viderat sepulchrum, cujus meminit Callimachus, hymno in Jovem v. 8.

Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι.
καὶ γὰρ τάφον, ὦ Ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο.

Idem fere sentit **Theocritus**, quum deorum mortuorum inanem doctrinam cavillans, suis civibus inquit: *ἄνδρες, θαῤῥεῖτε ἄχρις ἂν ὁρᾶτε τοὺς θεοὺς πρότερον τῶν ἀνθρώπων ἀποθνήσκοντας.* 2) **Heraclitus** etiam Aegyptiis, Typhona et Osirin et alios inferos stridulâ lamentatione tanquam humatos plorantibus, peropportune dixit: *εἰ θεοί εἰσι, διά τι θρηνεῖτε αὐτούς;* 3)

Hippo **Rheginus**, quamquam a Clemente et Arnobio **Melius** appellatur. 4) Hic quoque putabat, Deos nil nisi homines vitâ defunctos esse, quibus mythus et vetustas sanctitatem et venerationem attulerant; suo autem tumulo inscribi jussit hoc carmen:

Ἵππωνος τὸ δὲ σῆμα, τὸν ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ἶσον ἐποίησεν μοῖρα καταφθίμενον. 5)

---

1) Cic l. l. 2) Clem. Al. Protrept. p. 16. C.
3) Sanct. Epiphan. in Ancorato. p. 106. C.
4) Fabr. Bibl. Gr. II. 23. 20. 5) Clem. Al. l. l.

Ab Arnobio cum aliis laudatur, qui scrupulosae diligentiae curâ in lucem res abditas ingenuâ libertate protulerunt.

Bion Borysthenites, Theodori discipulus, in duobus his versibus impietatis accusatur:

Βίωνα τὸν Βορυσθενίτην, ὃν ἔφυσεν ἡ Σκυθὶς αἶα
λέγειν ἀκούομεν θεοὺς ὡς οὐδὲν εἰσιν ὄντως. 1)

---

§ 3. *Quid opinati sint cum veteres tum recentiores docti de citatis atheismi reis.*

En, qui praeter multos alios atheismi incusatione eminuerunt, propterea quod superstitionem, quâ quaestum et lucrum faciebant sacerdotes, frangendo, magnum sibi contraxerant odium. *Maxime*, ait Christ. Thomasius, *oderunt sacerdotes ethnici philosophos, utpote qui doctrinis suis destruebant potissimum fulcrum tyrannidis sacerdotalis. Unde nec mirum, quod plerique philosophi omni tempore per calumniam sacerdotum, etsi saepe occulte agentum, et quasi mere passive se gerentium, fue-*

---

1) Diog. Laërt. IV. 55. apud Hesych. Milesium legitur ὄντες.

rint atheismi accusati. 1) Idem testatur Brucker in Theodori disquisitione: *zelus quoque sacerdotum contra philosophos, superstitionem et idololatriam absurdissimam publice et incaute rejicientes, plurima nobis specimina persecutionum exhibuit.* 2) Nam rationi magis consentaneum est, Atheos vocatos esse a nostris quidem, quia sic apud gentiles legissent; a gentilibus vero, quia Deos gentium pro Diis non haberent; 3) viventesque cum ratione, ut Theodorus et alii plures, ridicula veterum numina riderent. 4) Discimus autem, ipsis Christianis, a simulacrorum cultu atque superstitione alienis, ethnicos olim atheismi maculam allevisse: *οἱ δὲ μετὰ λόγου βιώσαντες Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.* 5) Objiciebatur illis triplex facinus: nempe Atheismus, Thyesteae coenae, et Oedipei coitus. 6) In mysteriorum quidem ritibus formula recitabatur haec: *εἴ τις ἄθεος, ἢ Χριστιανός, ἢ Ἐπικούρειος ἥκει*

1) In Cautelis circa Hist. Eccles. c. 8. §. 23.
2) Hist. Crit. Phil. T. II. p. 603.
3) Vossius de Idol. orig. et. progr. p. 2.
4) Gronov. Thes. Antiq. Gr. T. VI. p. 1675 E
5) Justin. Martyr. Apol. II. pro Christianis. p. 82.
6) Athenag. Legat. pro Christ. p. 4. C.

κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτωσαν· οἱ δε πιστεύσαντες τῷ θεῷ, τελείσθωσαν τύχῃ τῇ ἀγαθῇ. 1) Et in Pseudomanti mordax Lucianus ait, Pontum atheis et Christianis abundare, quos, nefandis verbis Deum lacessentes, lapidibus expellere debet ille, qui Deum placare vult. 2) Ἔνθεν δὲ καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα, καὶ ὁμολογοῦμεν τε τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι· ἀλλ' οὐχὶ του ἀληθεστάτου καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας θεοῦ. 3) Hanc inanem in Christianos criminationem nunc demum refellere, post tot tantosque theologorum labores, supervacaneum esset opus. Satis sit ostendisse, quam male perspectam veteres haberent rem in religione dijudicandâ, ne ceteris istiusmodi judiciis incautam habeamus fidem. —

Qui tandem sic dictorum atheorum faciunt mentionem praecipui sunt: Veteres Gentiles, Patres Ecclesiae, recentiores Docti. E recentioribus multi sunt qui illorum partes tuentur, sicut Zimmerman in *Museo Bremensi*, Muretus, Vossius, et aliquatenus Brucker, quia semper effati ἐποχὴν commendat. Veteres quidem res traditas referunt, nomenque athei non ex animi

1) Lucian. Pseudom. §. 38. Ed. Hemsterh.

2 §. 25. 3) Just. Mart. l. l.

sententiâ sed cognominandi gratiâ addunt; quaenam ipsi de his opinentur plerumque silentio premunt. Gentiles enim gentilium metu atheorumque fato deterriti, causam illorum dicere non ausi fuissent. De Patribus autem videantur quae Buddeus in Thesib. de Ath. ait: *Patet Ecclesiae patres, gentilium superstitionem impugnantes, faciliores saepe, quam decebat, in excusandis philosophis, qui atheismi suspecti erant, fuisse, saltem ut inter ipsos ethnicos veritatis testes et confessores contra ethnicos invenirent; quae res dici non potest, quantum veritati damnum afferat.* 1) Hoc vero doctissimus Vir, sit ipsius pace dictum, non contendisset, si omnium Patrum sententias enumerasset: nam plurimi, neque temporis neque religionis ratione habitâ, nimioque fortasse nominis athei horrore affecti, accusationem, a veteribus repetitam, item repetere mihi videntur. Computentur modo testes, quorum e multis pleraque impietatis testimonia deferuntur. Aliorum e Patribus contra, quibus libere loquentibus gentilium vis παῤῥησίαν adimere non poterat, (quorumque caveas ne fidem labefactando nostrae quoque religionis jugulum petas,) eo majore veneratione judicia sunt prosequenda, quo propius abfuerunt ab horum philosophorum

1) c. I. §. 19.

aetate, et quo plura tum exstiterunt scripta, quae hodie sunt deperdita. 1)

Laudentur nunc nonnulli scriptores, qui sic dictos atheos culpâ liberant. Josephus, qui neque Christianus erat, neque eo, quo patres contendit Buddeus, consilio disserit, quum de Socrate, Anaxagora, Diagora et Protagora loquitur, ait: *τὰ δὲ δεῖ θαυμάζειν, εἰ πρὸς ἄνδρας οὕτως ἀξιοπίστους διετέθησαν* (Athenienses); Talia Libanius in Socr. Ap. *Πρωταγόραν ἐξεκηρύξατε καλῶς καὶ προςηκόντως ζητοῦντα περὶ τῶν θεῶν, εἴτ' εἰσιν, εἴτ' οὐκ εἰσίν..... Σωκράτους δὲ τὶς εἰπεῖν ἔχει βιβλίον; τίς δὲ ῥῆμα περὶ τῶν θεῶν ἐναντίον νόμοις; κἂν μυρίους λέγῃς σοφιστὰς ἀπολωλότας, οὔπω Σωκράτην ἐλέγχεις.* Sic Sanctus Epiphanius in Anc. *κακῷ γοῦν μόρῳ πεπληγμένοι εἰσὶ, μηδὲ τοῖς τῆς ἀληθείας ἐγκυκληταῖς συνθεαταὶ γινόμενοι· οὐκ ἀκούουσι γὰρ Διαγόρου κ. τ. λ.* Verum omnium summi ponderis sunt memorabilia verba Clementis, qui, copiosâ veterum scriptorum lectione imbutus, antiquae philosophiae rem quam aequissime videtur cognovisse: *θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ Θεόδωρος*

1) Reiman. Hist. Ath. p. 175.

ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἄλλους συχνοὺς, σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν; εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ τὴν πλάνην γε ὑπωπτευκότας, ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀλήθειας φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα. 1) His in Alexandrini verbis prisca philosophiae conditio quam paucissimis mihi videtur aestimata: philosophi turbam satis ingenii vi superabant, ne crederent quod a veritate dissonaret: nam; quid falsum esset, internoscere valebant, sed ipsius illius veri investigandi non erant compotes, et sapientium erat, Socratis instar, id confiteri. Sic ut P r o t a g o r a s, ῥητῶς ὑπογράψας περὶ θεῶν, οὔτε εἰ εἰσὶν, οὔθ' ὁποῖοί τινες εἰσὶ, δύναμαι λέγειν· πολλὰ γάρ ἔστι τὰ κωλύοντα με, ἥ τε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. 2) Eandem paene sententiam exhibuit Comicus Eudaemon. 3) Divinus ipse Plato Protagoream sententiam sic probat et illustrat, quum ait; τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ δὲ τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνα-

1) Protr. p. 15. A. B.

2) Sext. Emp. adv. Math. p. 319. B., Diog. Laërt. IX, 51.

3) Sanct. Epiphan. in Ancor. p. 136. D.

τον λέγειν. 1). Quin etiam Cicero, Euemerum et Ennium secutus, dissolvit publicas religiones; sed tamen veram, quam ignorabat, nec ipse nec alius quisquam potuit inducere. Adeo et ipse testatus est, falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. *Utinam*, inquit, *tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere.* 2)

Fuere tamen, qui desperata non reliquerunt, Prometheique similes ignem de coelo furari conabantur; qui metaphysicis intuitionibus, unde Socratica philosophia derogaverat, intenti caecutierunt. Auctore utor Simonide, qui, quum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postulavit: quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit: quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret; *quia, quanto*, inquit, *diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* 3) Licet Epicurus mundum *αὐτοματισμῷ* procreatum fuisse demonstret, et Deum, quem nos nostraque non curare statuit, a materie rerumque naturâ sejungat: *καὶ Ἐπίκουρος δὲ κατ᾽ ἐνίους, ὡς μὲν πρὸς τοὺς πολλοὺς, ἀπολείπει Θεόν· ὡς δὲ πρὸς τὴν*

---

1) Athenag. Leg. pro Christ. p. 6. D.

2) Lactant. de falsâ relig. L. II. Cicero. N. D. III. 32.

3) Cic. N. D. I. 22.

φύσιν τῶν πραγμάτων, οὐδαμῶς. 1) Deum seponere inutilem nequit Atomisticus, nisi habeat. Sinite Scepticos de Diis, num sint, effatum cohibere: οὐ μᾶλλον δὲ εἶναι ἢ μὴ εἶναι Θεοὺς διὰ τὴν τῶν ἀντικειμένων λόγων ἰσοσθένειαν ἔλεξαν οἱ ἀπὸ τῆς Σκέψεως. 2) Sit Anaxagorae numen νοῦς ὁ διακοσμῶν τε πάντα καὶ πάντων αἴτιος. Fluctuet Democritus ille σκοτεινὸς cum suis atomis, et in numero Deorum referat εἴδωλα eorumque circuitus. 3) Τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ Parmenides et Cittieus pro Deo habeant: lis a me judice non dirimetur. Neque ulterius hancce placitorum enumerationem persequar: non enim in eâ versor quaestione, qualis ex opinione veterum Dei fuerit natura. Constet modo, nemine de eo, quod esse negat, disputante, philosophos igitur, quippe de Deo, qualis esset, multa verba facientes, illius οὐσίαν non infitiatos fuisse.

§ 4. *Manifestioris Atheismi veterum quaedam placita.*

Non adversabor iis, qui contendunt, nonnullos

1) Sext. Emp. adv. Math. p. 319. D. 2) Ibid.
3) Cic. N. D. I. 12.

in errorem praecipites irruisse. Multi quidem, e fallacibus principiis profecti et falsâ specie ducti, in explorandâ veritate allucinati sunt. Illis tamen, qui non temere, sed post laboriosas investigationes, rem, creditu difficilem, quamvis vera sit, ratam habere nequeunt, ignoscendum esse, Christianus ipse Athenagoras existimare videtur, quum ait: *εἰ πᾶσα ἀπιστία μὴ προχείρως καὶ κατὰ τίνα δόξαν ἄκριτον ἐγγινομένη τισὶν, ἀλλὰ μετὰ τίνος αἰτίας ἰσχυρᾶς καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἀσφαλείας, τότε γὰρ τὸν εἰκότα σώζει λογον, ὅταν αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, περὶ οὗ ἀπιστοῦσιν, ἄπιστον εἶναι δοκῇ.* 1) Alii vero antea credulitate decepti, omnibus postea bene ponderatis, superstitionem aspernati sunt; neque amplius, cui crederent, invenientes, vesanâ correpti sunt impietate: *οὕτως γὰρ ἔνιοι φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν, ἐμπίπτουσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν.* 2)

Sic fieri potuit, ut nonnunquam anser interstrepuerit olores: fuerunt enim semper homines malevoli, minime sapientiae amantes, quos, haud absimiles Herostrati, dummodo famam compararent, et in circulis praedicarentur, impiis et insolitis opi-

1) De Resurr. mort. p. 41. D.

2) Plut. de Superst. p. 171. E.

nionibus et dictis eminere non puduit. His autem annumero quam maxime poëtas, imprimisque scenicos, qui protervae poësi operam dantes, auramque popularem, non veritatem, sectantes, usitatis placitis utebantur, et addendo placebant emphasin tragoedi, comici jocum: *καὶ οὐχὶ μόνος ὁ Μένανδρος, ἀλλὰ καὶ Ὅμηρος καὶ Εὐριπίδης καὶ ἄλλοι συχνοὶ ποιηταὶ διελέγχουσιν ὑμῶν τοὺς θεοὺς, καὶ λοιδορεῖσθαι οὐ δεδιάσιν, οὐδὲ καθ᾽ὁπόσον.* 1) Quum ipsis saepe ludibrio religionis essent usus, philosophos ideo exosi, horum et aliorum personam induebant et ore loquebantur, quo tutius impias sententias enunciare, philosophisque nocere possent. E sexcentis exemplis satis sit praecipua recitare.

Euripides tragicus, Areopagi metu, cogitationem reserare noluit; quare loquitur ex ore Sisyphi:

Ἦν χρόνος, ὅτ᾽ ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος,
καὶ θηριώδης ἰσχύος θ᾽ ὑπηρέτης. 2)

Reliquum magni hujus fragmenti nobis servavit Sextus Empiricus; quae praesertim illic inveniuntur atheismi documenta, sunt:

τηνικαῦτά μοι δοκεῖ
πυκνός τις (ἄλλος) καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
*γνῶναι ** θνητοῖσιν ἐξευρὼν ὅπως*

1) Clem. Al. Protr. p. 18. C.

2) Plut. Pl. Ph. p. 880. E.

εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρα
πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσι τι.
ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο,
ὡς ἔστι δαίμων, ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
νόῳ τ' ἀκούων καὶ βλέπων φρονῶν τε καὶ
προσέχων τε ταῦτα καὶ φύσιν θείαν φορῶν,
πᾶν μὲν τὸ λεχθὲν ἐν βροτοῖς ἀκούσεται,
ἐς δρώμενον δὲ πᾶν ἰδεῖν δυνήσεται, κ. τ. λ.

Consentaneam deinde facit perorationem:

οὕτω δὲ πρῶτον οἴομαι πεῖσαι τινὰ
θνητοὺς νομίζειν δαιμόνων εἶναι γένος.

Fabulosi Jovis fidem legislatores adjuvisse p. 37 jam diximus; sed praeter hunc nullum esse numen, ipsumque Deum, qualem, aeternis et immensis insignibus praeditum, ipse monstrat Euripides, unâ cum reliquis callidum et inane figmentum esse, quod tantum tyrannis in coërcendo populo inserviat, solus Critias tyrannus optare potuit; cui istiusmodi placitum gratissimum fuerit: *Κριτίας δὲ, εἷς τῶν ἐν Ἀθήναις τυραννησάντων, δοκεῖ ἐκ τοῦ τάγματος τῶν ἀθέων ὑπάρχειν, φάμενος ὅτι οἱ παλαιοὶ νομοθέται ἐπίσκοπόν τινα τῶν ἀνθρωπίνων κατορθωμάτων καὶ ἁμαρτημάτων ἔπλασαν τὸν θεὸν, ὑπὲρ τοῦ μηδένα λάθρα τὸν πλησίον ἀδικεῖν, εὐλαβούμενον τὴν ὑπὸ τῶν θεῶν τιμωρίαν.* 1)

---

1) Sext. Emp. adv. Math. p. 318. A, B.

Idem Euripides in Bellerophonte:

φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἰσ'. εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρήσθω λόγῳ. κ. τ. λ.

Binos porro nescio cujus fabulae versus Euripidis exhibet Athenagoras, quos athei tantum vox effari potuit:

ὤφειλε δ' εἴπερ ἔστ' ἐν οὐρανῷ
Ζεύς, μὴ τὸν αὐτὸν δυστυχῆ καθιστάναι. 1)

Omnia ridens, philosophisque quam minime parcens Aristophanes, religionem susque deque habebat; quot atheismi specimina ejus scena prodiderit, referre labor esset, sed crimine ab uno disce omnia. Inducit Socratem et Strepsiadem colloquentes; rogat hic, Nub. v. 394:

Ἀλλ' ὁ κεραυνὸς πόθεν αὖ φέρεται, λάμπων
πυρὶ; τοῦτο δίδαξον.
καὶ καταφρύγει βάλλων ἡμᾶς, τοὺς δὲ ζῶντας
περιφλύει;

---

1) Leg. pro Christ. p. 5. D. Iste locus, nisi corruptus sit, tantum inchoatam et languidam parit sententiam. Praeter virorum doctorum magna immutantium conjecturas, hancce meam propono, verbum *αὐτὸν* levi immutatione in *ἀγάθον* convertens, quod metrum non vetat. Quod si fit, sensus est opportunior, et cum Telamonis versu congruit:

Nam si curent, bene bonis sit, male
malis, quod nunc abest. Cic. N. D. III. 32.

τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς
ἐπιόρκους.

Respondet Socrates:

καὶ πῶς, ὦ μῶρε σὺ, καὶ Κρονίων ὄζων, καὶ
βεκκεσέληνε,
εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς δῆτ' οὐχὶ Σί-
μων' ἐνέπρησεν,
οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θέωρον; καί τοι σφόδρα
γ' εἴσ' ἐπίορκοι·
ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον
ἄκρον Ἀθηναίων,
καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας· τί παθών; οὐ γὰρ
δὴ δρῦς ἐπιορκεῖ. 1)

---

1) Eandem sententiam iisdem fere verbis Latine reddidit Lucretius. L. VI. v. 384.

Quod si Jupiter atque alii fulgentia Divi
terrifico quatiunt sonitu coelestia templa,
et jaciunt igneis, quo quoique est cumque voluntas:
cur, quibus incautum scelus aversabile cumque'st,
non faciunt, icti flammas ut fulguris halent,
pectore perfixo, documen mortalibus acre?
et potius nullae sibi turpis consciu rei
volvitur in flammis innoxius, inque peditur
turbine coelesti subito correptus, et igni?

et v. 416.

Postremo cur sancta Deum delubra, suasque
discutit infesto praeclaras fulmine sedes?
et benefacta Deum frangit simulacra? suisque

Hos quidem sermones, pio animo perexitiosos, audacter et absque periculis comici divulgabant in pulpitis, quippe quod corona, rigidam philosophorum argumentandi docendique rationem fastidiens, non succensebat iis, quorum facetiis et salibus delectabatur.

Itaque praemissis, quae conducere putavi ad veterum atheismi causam aliquantulum cognoscendam, prodeat nunc Diagoras. Nam praemunitione opus esse mihi videbatur, ne maledico athei cognomine falleremur, et Diagoram utrivis temere abscriberemus.

---

demit imaginibus violento volnere honorem?
altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus
montibus in summis vestigia cernimus ignis?

Caput VI.

§ 1. *De vulgatis atheismi Diagorae causis.*

E multis, qui Diagorae meminerunt, auctoribus seriores tantum Scholiastes Comici, Sextus Empiricus, Hesychius et Suidas alius ab alio repetitas causas, quae Diagoram a superstitione in Atheismum propulissent, enarrant: *ἐπεκλήθη δὲ ἄθεος, ὅτι ὁμότεχνός τις αἰτιαθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὡς δὴ παιᾶνα ὑφελόμενος, ὃν αὐτὸς ἐποίησεν, ἐξωμόσατο μὴ κεκλοφέναι αὐτὸν, μικρὸν δὲ ὕστερον ἐπιδειξάμενος αὐτὸν εὐημέρησεν.* 1) Brevioribus verbis ait Sext. Emp: *ἀδικηθεὶς δὲ ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος, μεθηρμόσατο εἰς τὸ λέγειν μὴ εἶναι θεόν.* Diagoras scilicet propter ereptam pecuniam, vel deperditum versiculum, cui

1) Hesych. Op. l. p. 232.

oleum et operam impenderat, Superos et Acheronta movere, spissosque libros conflare, quibus non furem et pejerantem, sed ipsum Deum impugnaret, sic traducitur. Mentitur vero Scholiastes, qui Diagoram, ob Melon patriam ab Atheniensibus vastatam, in atheismum incidisse dicit: *Διαγόρου, ὃς χρήματα παραθέμενος τινι, καὶ ἀποστερηθεὶς, εἰς ἀθεΐαν ἐτράπη. ἢ διότι Μῆλον ἐπολέμησαν Ἀττικοί.* 1) Diagoram jam ante captam Melon Athenis male audivisse ostendimus p. 31: et alii, converso facto, contendunt, illius atheismi causâ Athenienses Melon pessumdedisse: *Διαγόρας ὁ Μήλιος, ὃς τὸ πρότερον ἦν θεοσεβὴς, παρακαταθήκην δὲ ὑπό τινος ἀποστερηθεὶς, ἐπὶ τὸ ἄθεον ἐξέδραμεν, ἐφ᾽ ᾧ οἱ Ἀθηναῖοι ἀγανακτήσαντες τὸν Μῆλον ἐκάκωσαν·* 2) Sic fabulae fabularum auctoritatem penitus tollunt.

Cicero contra et Plutarchus, qui et ipsi philosophi, ideoque in dijudicando Diagora magis audiendi, ejusque aetati propiores fuere; et reliqui omnes cum coaevi, tum seriores, ne patres Ecclesiae nominem, ne gry quidem habent illius decantatae narratiunculae, quam non dubito, quin tribuenda sit posterorum commentis, qui rem non satis intellectam hoc modo supplebant. Neque recentiores

1) Schol. Ar. Nub. v. 828. 2) Ibid.

sinceritati hujus facti, quod atheismo Melii praebuisse dicebatur ansam, suffragantur. Ad Buddei tamen verba attendite, quaeso: *quae de occasione, quâ inductus Diagoras ad summam hancce impietatem processit, commemorantur, fere demonstrant, hominem non satis compotem fuisse mentis.* 1). Satis pro imperio dictum! An igitur ex omnibus, quae hucusque explicuimus, nihil aliud omnino appareat, nisi desipientem fuisse Diagoram? Non est quod negem, Diagoram deposito fraudari potuisse, et furem impunite pejerare; quin etiam socordibus et obtusis hominibus usitatum esse concedo, non habere Deum, nisi morem illis gerat, et omnia pro desiderio succedant: sed obstat rationi, Diagoram philosophum, ingenioque praestantem, hanc ob causam evasisse atheum, et ex eo, quod annuente Deo fieri potest, atheismi hausisse argumentum. Ne plura: quidquid serioris aevi scriptores de his fabulantur in chartis, exortum videtur ex anili obsoletâ historiunculâ, cujusmodi plerasque fama serit et auget; vel etiam vulgus, Diagoream opinionem opinionisque fontem ignorans, futilem potius pro captu causam fingebat, aut ab aliis, quorum referebat, fictam audiebat. Posthaec, in Diagorae negotiis enarrandis, patefaciemus, quarum

1) Op. l. c. l. §. 19.

rerum concursu notam impietatis insons contrahere potuerit. 1)

§ 2. *De testimoniis, quibus atheismi Diagoras insimulatur.*

Lysippus ex Epiro in ἀσεβῶν καταλόγῳ Diagoram profecto non omiserit; quod scriptum ejus fuisse naturae suspicor, ut non meram nomenclaturam continuerit, sed potius vitas sic dictorum atheorum. Pariter in βιοῖς Hermippum, Aristoxenum et Satyrum Diagorae non oblitos esse credo. Hoc tamen conjicere vix licet, utrum Hermippus in sectione poëtarum an philosophorum de Diagora disseruisset. Cunctos igitur locos, ubi commemoratur atheismus Diagorae, quia modo sparsim inveniuntur, unâ cum doctissimo Thienemann colligemus, 2) ut rem habeamus cognitam, et accusationum pondus, antequam accusati facinus, disceptemus.

Antiquissimam Diagorae delationem apud Ciceronem, qui circiter 300 annos post illius mortem natus est, invenimus: *nullos esse omnino* deos

1) Cf. Cap. VIII.

2) G. G. Fülleborn beyträge zur Gesch. der Phil. XI. Stück II.

Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. 1) Scriptoris autem consilio et verborum sensui Thienemann magis congruum censet, *nullos esse* interpretari per: *nullius esse pretii*, nam haec verbi *nullus* significatio non inusitata est apud Ciceronem: *nulla est haec amicitia*, ait in Laelio, et alibi: *num tu has leges nullas putas?* Eo verisimilius sic explicari desiderat, si conferatur cum eo, quod ait N. D. III. 57: *Diagoras atheus ille qui dicitur, atque ei quidam amicus: tu, qui deos putas humana negligere* caet: Illud *dicitur* caute dicit Cicero, ne propriam mentem aperiat, sed famam, ficti pravique tenacem, quae non testimonii valet auctoritate, referat. Porro Deos humanarum rerum procuratione spoliare, nequit ille, nisi Deos esse contendat.

Post Ciceronem secundus est Diodorus Siculus historicus, quem nescio cur veteri philosopho voluisset obtrectare: Διαγόρας ὁ κληθεὶς ἄθεος, διαβολῆς τυχὼν ἐπ' ἀσεβείᾳ. 2) Iterum, famâ vagante, defertur et impietatis patitur criminationem. Nullibi contra in flagrante delicto reprehenditur, nec ex ipsius dictis sive placitis Deorum inficiatio colligitur.

Hunc sequitur (ne Josephum Judaeum citem,

1) N. D. I. 1. 2) Bibl. XIII. 6.

qui de atheismo nostri nihil, et Valerium Maximum, qui erravit in nomine viri scribendo, 1) neque jam laudatos locos repetam) Plutarchus: ἔνιοι τῶν φιλοσόφων, καθάπερ Διαγόρας ὁ Μήλιος, καθόλου φάσι μὴ εἶναι θεούς. 2) Quodsi de Diis gentilibus illud intelligis, nihil est, quod Diagoram vituperemus.

Gravissimum vero contra Diagoram Athenagoras Ecclesiae pater exhibet testimonium: Διαγόρᾳ μὲν γὰρ εἰκότως ἀθεότητα ἐπεκάλουν Ἀθηναῖοι. Deinde duplicem addit culpam: καὶ τὸ τοῦ Ἡρακλέους, ἵνα τὰς γογγύλας ἑψοῖ, κατακόπτοντι ξόανον. 3) Idem sed fusius narrant Schol. Arist. Διαγόρας..... πότε, φασίν, ἐν πανδοκείῳ εὑρεθεὶς καὶ μὴ εὑρῶν ξύλα, ἀλλ' ἄγαλμα Ἡρακλέους, ἄγε, φησὶ, τρισκαιδέκατον ἡμῖν ἐπιτέλει ἄεθλον, καὶ ἕψησον τὸν φακόν. 4) Clem. Alex. ὁ δὲ Ἡρακλέα ἐκ ξύλου λαβὼν κατασκευασμένον, ἔτυχεν ἑψῶν τι οἴκοι, οἷα εἰκός, εἶα δή, ὦ Ἡράκλεις, εἶπεν, νῦν σοὶ ἤδη καιρὸς, ὥσπερ Εὐρυσθεῖ, ἄταρ δὴ καὶ ἡμῖν ὑπουργῆσαι τὸν τρισκαιδέκατον τοῦτον ἆθλον, καὶ Διαγόρᾳ τοῦτο παρασκευάσαι· καὶ τοῦτον εἰς τὸ πῦρ ἐνέθηκεν ὥσπερ ξύλον. 5) Sanct. Epiphan.

1) Cf. p. 46.
2) Pl. Ph. I. 7.
3) Leg. pro Chr. p. 5. B.
4) Ad. Nub. v. 828.
5) Protrept. p. 15. B.

οὐκ ἀκούουσι γὰρ Διαγόρου, τοῦ τὸν ἴδιον Ἡρακλέα ξύλινον ὄντα δι᾽ἀπορίαν ξύλων ὑποκαύσαντος καὶ ἐπισκωμματικῶς αὐτῷ λέγοντος, ἄγε δὲ (lege δή) Ἥρακλες τὸν τριςκαιδέκατον ἆθλον ἐκτελῶν πάρελθε τὸ ὄψιν (lege ὄψον) ἡμῖν ἑψήσων· ὃν δὴ λαβὼν καὶ σχιδακίσας, καταγελῶν τοῦ ἰδίου θεοῦ, ὡς οὐκ ὄντος, τῷ παρατιθέντι αὐτῷ ἀρίστῳ γελοιάζων ἐτρέφετο. 1) Licet per me factum sit; verumtamen Herculis, quem Homerus etiam hominem mortalem,

Φῶτα γὰρ Ἡρακλέα, μεγάλων ἐπιΐστορα ἔργων 2)

appellavit, ligneam comburere stipem, non par existimo ac summum tollere numen.

Non facere possum, quin exemplum haud absimile conferam, quod legi in vitâ Platteri Valesii, quam ex autographo edidit Huldricus: Auff einen Morgen, da Zwinglins vor Tag zum Fraumünster predigen solte, hatte Platter kein Holtz, und als man zur Kirchen gelüntet, gedachte er, du hast kein Holtz, und sind so viel Götzen in der Kirchen; weil nun noch niemand zugegen war, gieng er in die Kirchen zum nächsten Altar, erwischte einen Johanes, nimt ihn in die Schul, fart damit in den Ofen und spricht zu ihm: Jägli bucke dich, du must in den Ofen, ob du gleich Joanes seyn solt; als er nun anfieng brennen, gabe er wegen der Oelfarb

1) in Ancorato p. 106. B. C. 2) Odyss. XXI. 26.

grosse Blatteren; da sagte Platter bey sich selbsten: rürhrest du dich, das du aber nit thun wirst, so wil ich das ofen-Thürlin zuthun, du must nit heraus, der Teuffel trage dich dan heraus. 1) Veteris tamen philosophi facinus non illustrare conor ex aevi medii Catholicismo: sed ipsos etiam gentiles, ligni fragmentum pro lubidine opificis cum divinitatem tum turpitudinem adipisci, prorsus intellexisse, constat ex Horat. Sat. I. 8. 1.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
quem faber, incertus, scamnum faceretve Priapum,
maluit esse Deum: deus inde ego.

E Graecis quoque, Diagorae fere coaevis, conficere praestat, viris sagacibus et probatis deorum simulacra contemtui fuisse, ne vulgus nimium illis afferret honorem, Deo detraheret: *καὶ Ζήνων ὁ Κιττιεὺς ἐν τῷ τῆς πολιτείας ἀπαγορεύει βιβλίῳ, καὶ ναοὺς οἰκοδομεῖν καὶ ἀγάλματα τεκταίνειν. οὐδὲν γὰρ εἶναι τουτων φησὶν θεῶν ἄξιον κατασκέυασμα.* 2) Sic Zenoni statua Deo videbatur indigna. Plato pariter statuam sacrare vetat, vereturque ne simulacrorum ornatus Deo subducat honorem: *σκώπτει δὲ ὅμως καὶ αὐτὸς* (Plato) *τὲ ἀγαλματοποιΐας τά πλεῖστα, καὶ φησὶν· μηδεὶς οὖν ἕτερος ἱερὰν εἰκόνα*

1) Miscellan. Tig. Tom. III. P. 2. p. 271.

2) Theodoret. Th. Gr. Serm. III. p. 519. B. C.

καθιεροῦτο θεοῖς..... ἐκ ξύλων δὲ μόνον καὶ λιθων προσέταξε διαγλύφεσθαι, εἰδώς, οἶμαι, τὴν ὕλην εὐκαταφρόνητον, καὶ πεῖσαι ἱκανὴν τοὺς ὁρῶντας μὴ θεῖα νομίζειν, μηδὲ σέβειν τὰ εὐτελῆτε καὶ εὔωνα. 1) Itaque Diagoras, etsi, Herculis effigie comburendâ, jejunam turbae mentem offenderit, non tamen audacius grassabatur, quam sapientiorum aequalium conscientia et religio patiebantur.

Alteram culpam Athenagoras objicit Diagorae: *ἄντικρυς δὲ ἀποφαινομένῳ, μηδὲ ὅλως εἶναι Θεόν.* Lubens concesserim, Diagoram Sophistis familiarem et addictum, et arte loquendi pollentem, 2) Divinitatem non quidem in dubium vocasse, sed in disputationis argumentum convertere potuisse, ita ut Deum oratione evertisse crederetur, et vicissim confirmaret. Quod si fecit, non atheismi, sed potius exsultantis ingenii, reus erit, quod seriis utitur, ut versutiam et facilitatem in demonstrandis paradoxis ostentet.

Athenaeus, multis injurius, Diagorae tamen non male dixit.

Sextus Empiricus: *Θεοὺς γὰρ οἱ μὲν πολλοί φασιν εἶναι· τινὲς δὲ οὐκ εἶναι, ὥςπερ οἱ περὶ Διαγόραν τὸν Μήλιον.* 3) et alibi: *μεθηρμόσατο*

---

1) Ibid. 2) Cf p. 34.

3) Pyrrh. Hypoth. III. p. 155. B)

εἰς τὸ λέγειν, μὴ εἶναι Θεόν. 1) Ipse Sextus accusationem non urgere videtur, utpote qui non laborat, utrum Diagoras Deos an Deum negaverit.

Minutius Felix: *Sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, vel qui prior Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit antiquitas, qui uterque, nullos deos asseverando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt; nunquam tamen in hac impietatis disciplinâ simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebunt.* Apparet Christianus auctor verba Ciceronis descripsisse, et ultro pium orationis tumorem adjecisse.

Aelianus, cujus ineptias jam audivimus, Diagoram cum Euemero, Diogene, Hippone, Sosia, Epicuro, praeterea cum Indis, Celtis et Aegyptiis collocat. 2)

In libello Sententiarum selectarum, p. 17 jam laudato, factum, quod passus est, Diagoras, refertur in annotatione: *ὁ αὐτος, λειφθεὶς ὑπὸ Ἀθηναίων, καὶ μέλλων ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ θανάτῳ ἄγεσθαι, ἐπὶ τῷ θεοὺς μὴ ὀνομάζειν, ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἔφη· ὦ θεοὶ, εἰ ἐστὲ θεοὶ, σώσατέ με.* Hinc minime patet, atheum fuisse, neque Deos contemsisse; sed in rebus dijudicandis moderatâ

1) Adv. Math. p. 318. A. 2) V. H. II. 31.

dubitatione et prudenti hypothesi usum esse, ita ut, imminente supplicio et odio Atheniensium, non anxius solitam sibi opinionem repudiaret.

Diogenes Laërtius Diagorae tantum nomen edidit. 1)

Quae Lactantius ait: *Diagoras, qui Deos exclusit*, 2) et alibi: *qui nullum esse omnino Deum crederet*, 3) e Cicerone item desumsisse videtur.

Ex Augustini verbis: *quid hic facit Atheus Diagoras, qui esse Deum negavit, ut de illo videatur praedixisse propheta: dixit stultus in corde suo, non est Deus?* 4) Ecclesiastici pietatem, hac saltem in re, judicio majorem fuisse, augurari vellem.

Hesychii testimonio posthaec utemur.

Quae Scholiastae Aristophanis memorant, sunt: *Διαγόρας Μήλιος ὢν διεβάλλετο ὡς θεομάχος·* 5) eodem versu: *Διαγόρας γέγονέ τις βλάσφημος εἰς τὸ θεῖον·* et *Διαγόρας μελῶν ποιητὴς ἄθεος, ὅς καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγεῖτο.* Virum sine diis, mirabile dictu, deos inducere novos! Ne tamen incautius agatur in adhibendis Scholiastarum commentariis, quos nescimus, quam sero tempore

1) VI. 59.
2) Instit. Div. I. 2.
3) De Irâ Dei. c. 9.
4) c. Petilian. III. 21.
5) ad Nub. v. 828. Cf. p. 69. sq.

scripti, quam parvâ sinceritate, quatenus ex alieno fonte deducti sint. Nec mirum, quod saepius Scholiastae coacti fuerint, scelera suspicari et nugas excogitare, ad mordaces jocos et calumnias comicorum explicandos.

His denique diris et conviciis Suidas Diagoram aliosque valere dicit: ὦ Ξενοφάνεις, καὶ Διαγόραι, καὶ Ἵππωνες, καὶ Ἐπίκουροι, καὶ πᾶς ὁ λοιπὸς ὄχλος τῶν κακοδαιμόνων τὲ καὶ θεοῖς ἐχθρῶν, ἔῤῥεσθε.

De causâ mysteriorum, quae vulgavisse Diagorae crimini datur, sicut Scholiastes Aristophanis, Josephus, Tatianus, Athenagoras, Cyrillus, Libanius et Suidas, in locis posthaec laudandis, narrant, in sequentibus agere malo. 1) Nunc enim propositi ratio postulabat, ut atheismi delatores convocarentur. Plurimos etiam nominare possem, qui Diagoram manifestis verbis absolvunt atheismi, et magnopere studium, quo veritatem religionis appetebat, celebrant. 2) Alii litem sub judice relinquunt; alii de illo omnino non loquuntur. Hos inter, attendite quaeso, qui Diagoram silentio praetereunt, praecipui sunt aequales et ejus aetati proximi. Nam Plato, qui tot de Protagora, Xenophon et Aristoteles, quibus saltem aliqua tribuenda est auc-

1) Cf. C. VII. §. 2. 2) Clem. Alex. l. p. 59 et 60 laud.

toritas et major fides quam plebeis fabulis, Diagoram atheum ne verbo quidem meminerunt, nedum accusavérunt. Etenim Aristoxenus in Philodemi fragmentis, solus qui Diagorae philosophiam laudat, bene dicit: *ὥστ' ἔγωγε καὶ τεθαῤῥηκότων εἴπαιμι* (vel *εἴπαιμ' ἄν*) *τούτους* (Stoicos) *Διαγόρου πλημμελεῖν· ὁ μὲν γὰρ ἔπαιζεν, εἴπερ ἄρα καὶ τοῦ (θ' οὕτως) ἐστὶν, ἀλλ' οὐκ ἐπηνένεγκταί, καθάπερ ἐν τοῖς Μαντινέων ἔθεσιν Ἀριστόξενος φησίν.* 1) Epicurei philosophi et Lucretius, aliique atomistici, qui materiem non indigere Deo contendebant, Diagorae nunquam usi sunt auxilio, ad Dei necessitatem imminuendam. Stobaeus, qui tot et omnigenas reliquias excerpsit, ex Melii scriptis nihil ad nostra tempora servavit. Confiteamur ergo, quod Brucker inquit, certissimâ ratione de Atheismo Diagorae non posse definiri quicquam, cum et libri ejus perierunt, et qui impietatem ejus describunt, testes sint, non omni exceptione majores, et ab ejus aetate nimis remoti. Fieri potuit, Diagorae libros eandem, quam Protagorae libri, sortem tulisse, et a desipiente populo damnatos et exscissos esse propter atheismi famam. Verum equidem rogo, num liberae reipublicae miserrimus balatro, cui jus erat librorum damnandorum, idem ille scientiae satis

1) Cff. pp. 12. et. 19.

haberet, ad istos libros legendos et intelligendos? An illum, qui Deos in scenâ lacerari lubenter spectatum venit, eundem indignatio movebit, quum eosdem Deos in libro negari auditione accipit? An igitur ex arbitrio plebis Diagoras religioni et virtuti nocuit? Nonne exempla complura exstant, viros cordatos, superstitionis vulgaris contemtores, negati Dei accusatos fuisse? 1) Ponamus, nihil e Socratis scriptis nobis reliqui factum, nisi obscuram famam de contemtis Diis, et morte violentâ propterea injectâ, unâ cum Aristophanis Nebulis: Num inde jure concludi posset: Ergo Socrates talis est, qualis a nebulone illo depingitur? Quum autem, ut Democriteum ex nihilo nihil, sic e libris, qui non amplius supersunt, nullum quo utamur subest argumentum, fert animus, ex aliorum conjecturis proficiscentem, meis indulgere, deperditosque libros suspicione persequi.

1) Bruck. hist. Crit. Phil. T. II. p. 1295.

Caput VII.

§ 1. *De Diagorae Phrygiis Sermonibus.* 1)

Diagorae scripta Suidas et Hesychius memorant: *ἐντεῦθεν ὁ Διαγόρας λυπηθεὶς ἔγραψε τοὺς καλουμένους ἀποπυργίζοντας λόγους, ἀναχώρησιν αὐτοῦ καὶ ἔκπτωσιν ἔχοντας τῆς περὶ τὸ θεῖον δόξης.* Sunt enim illae disputationes *quae* Deos *ex arce dejicere dicebantur, Diagoraeque continebant defectionem, et communem expellebant de Diis opinionem.* Ex aliorum autem interpretatione *ἀποπυργίζοντες λόγοι* significant disputationes, *quae, undique argumentis tanquam turribus instructae, ab omni impetu sunt inexpugnabiles.* Hunc tamen titulum conscriptor sane non imposuit scripto. Verba *τοὺς ἀπ. λόγ.* definitionis potius,

1) Cff. pp. 16 sq.

quam tituli speciem prae se ferunt, et ceteroquin ostendunt, hanc vel dumtaxat similem significationem jam saepius factam, et abunde notam fuisse. Hoc nomen igitur libro videtur impositum ab iis, qui Diagoram exosum reddere volebant: nam si ab auctore ipso fuisset, opportunior scopo Tatiani, neque ab illo praetermissus esset. Nam sine dubio Tatianus, quum Diagorae libros citat, quos Athenienses aversabantur, spectat istos, qui propter impietatem pessime audiebant; et quorum mentionem legimus in Hesychio et in Suida factam. Hos nuncupat Tatianus *Φρυγίους λόγους· καὶ τοῖς Φρυγίοις αὐτοῦ* (Diagorae) *λόγοις ἐντυγχάνοντες ἡμᾶς μεμισήκατε·* 1) quem profecto verum esse titulum credo. Alii quoque philosophi idem nomen suis theologicis disputationibus inscripserunt. Inter opera Democriti deperdita recensetur *Φρύγιος λόγος*, 2) quem ad locum Menagius animadvertit: Exstare sub Democriti nomine de arte sacrâ sive de rebus naturalibus et mysticis libellum. Damascius de Rheae physiologiâ laudat *Φρύγιον λόγον*. Intelligere mihi videtur Lobeck, Diagoram in sermonibus Phrygiis res gestas deorum, sicut postea fecit Euemerus, ad historiam revocasse. 3) Gronovius etiam Phry-

1) Or. c. Graec. p. 164. A. 2) Diog. Laërt. VI. 49.
3) In Aglaöphamiâ. p. 370.

giorum sermonum naturam docet ex Hesychii et Suidae titulo. 1) Nec non et Vossius hoc arbitratur; nam postquam Tatiani verba laudaverat, addit: *Phrygios sermones fuisse arbitror historiam eorum, quae ad Cybelen sive matrem Phrygiam et ejus sacra pertinerent, atque ab eo esse fine hoc conscriptam, ut a sacris illius homines averteret.* 2) Num Phrygiis sermonibus, Deorum familiam unâ cum matre evertentibus, nomen *τῶν ἀποπυργιζόντων λόγων* deditum esset propter *turritam* Deorum matrem, quae *Phrygias* per urbes invehitur, ut canit Virgilius Aen. VI. v. 785.

laeta Deûm partu, centum complexa nepotes,
omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.

Hanc doctissimi Vossii sententiam, cui et Meier l. l. suffragatur, et cui prorsus confidere multa, quae Diagoras perpetrasse traditur, suadent, fontem constituo, unde mea disquisitio emanet, et libri, quod suspicor, argumentum explicem.

His igitur in Phrygiis sermonibus tantum quaerere oportet illud, quod Athenagoras de propriis Diagorae documentis memorat, et causam reperire triplicis accusationis, quam ibidem refert: *Διαγόρᾳ . . . μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον*,

1) Thes. Ant. Gr. T. X. p. 47.

2) De Hist. Graec. p. 197.

καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια. 1) Quorum mysteriorum Diagoram non facere potuisse quin abditum sensum populo reseraret, constabit ex interpretatione naturali et historicâ Phrygiorum religionis et fabularum, quarum maxima necessitudo cum mysteriis erat, et quae praecipuam fortasse partem libri vel etiam caput et summam operis effecerunt: quod si demonstare velimus, ordiamur a principio necesse est.

1°. *De Phrygiae doctrinae Symbolis.* 2)

Phrygum religio, omnium ex totâ vetustate religionum mater et antiquissima, deam Cybelen, omnium deorum antiquissimam, exhibet matrem: παραδέδοται δὲ τῆς θεοῦ ταύτης (Cybeles) κατὰ τὴν Φρυγίαν γένεσις. 3) Ista vero Cybele, eadem, quam et alii populi variis nominibus Rheam, Tellurem, Magnam matrem, Demetra, Cererem, Opem et Agdestin praedicant, nomen fortasse obtinuit a Graeco verbo κύβος, *tessera*, quod solidum in centro statum significat. Narrat autem Arnobius, in Phry-

1) Leg. pro Christ. l. l.

2) Cf. Creuzer Symbolik und Mythol. T. II. p. 56. sqq.

3) Diod. Sic. III. 51.

giae finibus inauditae per omnia vastitatis petram fuisse quandam, cui nomen erat Agdus; ex eâ lapides sumtos in orbem mortalibus vacuam Deucalion et Pyrrha jactavisse; inde praegnatam esse Agdestin mythus ait. 1) Vetustissima Cybeles effigies rotundus vel quadratus erat lapis, pariter ac bonae Matris Opis, quam Romani a Pessinunte arcessebant. 2) Ex aliis quoque insignibus Cybele terrae Symbolum fit perspicuum; quippe quae caput oppidis et turribus tanquam coronâ coöpertum habet; Solis Lunaeque lumen illam velut apex offundit; floribus et lotis totius corporis ambitus circumdatur et ornatur, aeque ac amplis pallii plicis; Zodiacus feris obsitus ejus humeros cingit; Fulmen sub imagine sagittarum armat dextram, et in alterâ sistrum et tympanum gerit, quo venti tonitruique strepitus designatur. Porro fax et arcus omnigenaeque ferae, leones, apri, aves, testudines et lacertae in superficie dextri brachii sunt dispersae; juxtaque ad solii latus considere solent bini leones. 3) Horum vero significationem Creuzer explicat ex eo, quod leonis, cui sanguis ardescit, et qui ferarum rex existimatur, indoles omnium maxime convenienter adscribitur Naturae Reginae, quae igneâ vi pervadit

1) Adv. Gentes. V. 5. 2) Tit. Liv. XIX. 15.

3) Gron. Thes. Ant. Gr. T. VII. p. 424.

omnia, et animantia subigit. 1) Talibus quoque attributis et iisdem ornatibus Lucretius Cybelen spectandam scribit L. II. v. 603:

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
et nostra genetrix haec dicta 'st corporis una.
Hanc veteres Grajûm docti cecinere poëtae
sublimem in curru bijugos agitare leones:
aëris in spatio magnam pendere docentes.
Tellurem, neque posse in terrâ sistere terram;
adjunxere feras: quia quamvis effera proles
officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere coronâ:
eximiis munita locis, quod sustinet urbeis.

Sacris Cybeles qui fungebantur sacerdotes, Galli vocabantur a Phrygiae flumine Gallo, cujus aquae potu furor concipiebatur. 2) In orgiis et festis hymnos praecinebant, Galliambos dictos, quos religiosi fuisse argumenti probabile est, propter tardum et grave metrum, quod, illis proprium, Catullus aliique nonnunquam imitati sunt. 3) Ab armatis saltationibus, quibus in honorem Deae praesultabant, appellabantur Corybantes, i. e. capita quassantes, vel a κόρη, quia tanquam mulieres incedebant, sicut et Curetes, qui in festis diebus muliebres

---

1) Ibid. p. 428. F. sqq. 2) Herodian. I. 23.

3) Muret. Comment. in Catull. T. II. p. 810. Ed. Ruhnken.

vestes induebant. — Pauper tamen et mendicum horum sacerdotum genus, quod vulgo contemnebatur, inanibus artificiis incumbebat; dei deaeve alicujus effigiem vel humeris portantes vel jumento imponentes, per oppida et vicos vagabantur, et verbo matri Deorum, re ipsâ sibi stipem colligebant, unde dicebantur μητραγύρται. 1)

Discimus autem e Mythis, hancce Cybelen vel Agdestin e semine, quod Zeus per somnum jaculatus erat in terram, duplicem adeptam fuisse progenerandi facultatem; sed solam virilem vim emisisse germen, quod Sangarii, Phrygiae fluminis, filia fovuit in sinu. Inde enatum puerum Atym vel Attidem, quem mater exposuit, ita deamat Agdestis, ut ejus precibus Jupiter commotus Atym immortalitate condonet. 2)

Absconditus vero hujus fabulae sensus et origo confestim uniuscujusque subibunt animum cogitantis, quod scilicet semen, ab omnium principio, Jove dicto, deductum et in sinu terrae matris latens, lymphis et humiferis fluviis alitur, crescit, fruges deinde procreat; donec ab integro fruges ipsae semen, coïtu facto, in gremium effundunt terrae, quae semper natorum amore deperit. Hoc modo

1) Ruhnken. in Tim. Lexic. p. 10.

2) Paus. Achaïc. VII. 17.

fruges e tellure prognatae, coëunte tellure, nunquam perimuntur. Idem quoque manifesto liquet ex historico commento, Phrygiam, aufugiente Cybelê, famem invasisse, quam ad explendam incolae Attidis simulacrum, oraculo jubente, humi condiderunt. 1) *πάντες οἱ θεολογήσαντες βάρβαροί καὶ Ἕλληνες τὰς μὲν ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο, τὴν δὲ ἀλήθειαν αἰνίγμασι καὶ μεταφοραῖς παραδεδώκασι.* 2)

Huic igitur Cybelae adjunctus erat mysticâ affinitate Attis: *ὁ Ἄττις παρὰ Φρυξὶ μάλιστα τιμᾶται ὡς πρόπολος τῆς μητρὸς τῶν θεῶν.* 3) Aliis nominibus dicitur etiam Hyes, Sabus, quae Graeci modo Jovi modo Libero patri tribuunt, earumque religionum propria fuere, quae Phrygiam, Lydiam totumque illum terrarum tractum pervagatae, et in Deae magnae ac paredrorum cultu versatae sunt. 4) Testes sunt Hesychius in voce *Σαβάζιος· ἐπώνυμον Διονύσου· καὶ Σαβὸν ἐνίοτε καλοῦσιν αὐτόν. Φρὺξ δὲ ὁ Σαβάζιος.* et Scholiastes Aristophanis: *οἱ Φρύγες τὸν Σαβάζιον τιμῶσι, καὶ τὸ εὐάζειν, σαβάζειν φασίν.* 5)

In illâ vero Cybeles et Attidis solâ necessita-

---

1) Diod. Sic. III. 58. 2) Clem. Al. Strom. V. p. 556. B. C.
3) Harpocration in voce.
4) Cf. Lobeck op. l. in Orphicis. p. 647. 5) ad. Av. v. 874.

dine summa fere Phrygiae religionis versatur, quae praesertim e duobus annuis solidisque festis cognoscitur. Primum solemne, ineunte vere, incipiebat. Itaque primo festi, Martisve vigesimo primo die Attidem, quo jam semestrium indiguerant, quasi deperditum lamentabantur et quaerebant. Secundus deinde dies erat buccinarum; tum continue curvis inflabant lituis, qui lunae cornua significabant: nam lunae quoque cultus, quippe cujus tanta vis est in terrae foecunditatem, non a terrae matris cultu secernebatur. Tertio denique die, qui ver aperiebat, inventus erat Attis ille, et hujus inventi gaudio cuncti vehementer ovabant. Tunc demum virorum diu compressus ardor insanire, et a culmine laetitiae praecipites in sacrum furorem et cruentos ausus ferebantur. Haec clare Lucretius:

Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum
concava, raucisonoque minantur cornua cantu:
et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis:
telaque praeportant violenti signa furoris. 1)

Horum Cybeles pontificum sese castrandi consuetudo, quod Attidis instar fiebat, symbolum habebatur mortuae Naturae, quando, frigescente sole, ubertas et plantarum incrementum rurisque fruges deficiunt, et hiemali torpore quasi exstinguuntur. Hanc

1) II. 623.

ob causam, sicut jam verbo diximus, alterum festum agebatur, quo magnis planctibus Attida clamabant et anxie lugebant. Sed quando redeunte verno tempore rursus inventus esset Attis, magno solemnique comitatu phallum circumferebant, quo significabant, terrae matris uterum denuo foecundandum fore: *Φρύγες δὲ τὸν θεὸν οἰόμενοι χειμῶνος καθεύδειν, θέρους δ᾽ ἐγρηγορέναι, τοτὲ μὲν κατευνασμοὺς τοτὲ δὲ ἀνεγέρσεις βακχεύοντες αὐτῷ τελοῦσι.* 1)

Non ulterius arcanam Phrygiae mythologiae doctrinam, religionisque ritus exponemus. Sufficiat ostendisse, fabulas illas et cerimonias principiis merae physiologiae inniti; ita quidem ut populus cultu terrae matris sanctarumque specierum artificio captus, facilius duceretur ad colendam terram. Quam etiam ob rem sacra Cybeles apud alias gentes unâ cum agriculturâ pervenisse videntur e Phrygiâ, forsitan apud Graecos a Pelope Phryge suisque allata:

Hanc variae gentes antiquo more sacrorum
Idaeam vocitant matrem, Prygiasque catervas
dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
per terrarum orbem fruges coepisse creari. 2)

Sic Phrygiam religionem, ait Creuzer, in Graecis civitatibus et Romae videmus usurpari; ejusque rationem cum Graecos tum Romanos, in exuendis my-

1) Plut. de Is. et Osir. p. 378. E.   2) Lucret. II. 615.

this, perscrutari. 1) De Democriti Phrygiis libris supra diximus. 2) Veteres insuper allegoriarum artifices, quae isto modo a poëtis tradita fuerant, ad naturae vires progenetrices referre, itaque interpretari solebant, ut non deorum stupra et libidines, sed elementorum congressus coetusque significari viderentur: *οἱ θεολόγοι ταῦτα αἰνίσσονται διὰ τῶν ἱερῶν γάμων· ἁπλῶς μὲν γὰρ τὴν κοινωνίαν τῶν θείων αἰτίων μυστικῶς γάμον προσαγορεύουσι.* 3) Diagoras autem, si in iisdem his vestigiis progressus est, non aliter fieri potuit, quin saepius in Orphica et Eleusinia mysteria invitus devenerit.

2°. *De Orphicis, Samothraciis et Cabirorum sacris.* 4)

Omnia quidem eodem nos deducunt vestigia, sacra Orphica a Phrygiis nihil diversa fuisse: nam Phrygiis religionibus, ait Strabo, *ἔοικε τὰ παρὰ Θρᾳξὶ, παρ' οἷς καὶ τὰ Ὀρφικὰ τὴν καταρχὴν ἔσχεν.* Antiquis autem temporibus sacra Samothracia Phrygiis copulatiora fuisse et similiora, ii etiam significare videntur, qui Cabiros e Berecynthiâ

1) Op l. T. II. p. 46. 2) Cf. p. 84.

3) Proculus in Parmenide II. 214.

4) Cf. Lobeck Op. l. pp. 233. 1109 et 1202.

arcessunt, ipsamque magnam matrem Samothraciis praeficiunt sacris, cujus mysteria κατέδειξε Dardanus, 1) quem Samothraciam appulisse testatur Virgilius Aen. VII. v. 208:

Dardanus Idaeas Phrygiae penetravit ad urbes,
Threïciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.

Diodorus Siculus Corybantem narrat, Jasionis et Cybelae cujusdam filiolum, sacra matris Deorum e Phrygiâ illuc transtulisse. 2) Quae qui tradiderunt, non dubitasse videntur, quin Samothracum sacra Corybantia deorum matri instituta sint. *Καθαρμοὺς* et *τελετὰς*, quorum institutione inclaruit Orpheus, ad sacra Phrygia et Metragyrtarum negotia pertinuisse, ait Lobeck p. 693; et ab his circumvagantibus sacrificis et circumforaneis pharmacopolis allatos esse, non probabilitate caret. Nonnulli enim, inter quos et Ephorus, Idaeos Dactylos circa Idam Phrygiae montem habitasse, et cum Minoë in Europam transiisse memorant. Et quia praestigiatores essent, incantamentis et sacris ritibus mysteriisque operam dabant, et in Samothraciâ versantes non mediocrem insulanis stuporem incutiebant. Hoc tempore etiam Orpheus, quem excellenti ingenio ad poësin et melodiam natura instruxerat, discipulus

1) Paus. Arcad. VIII. 31. 2) V. 49.

horum fuisse, primusque initiorum cerimonias et mysteria in Graeciam traduxisse dicitur: 1) inde Apollodorus I. 3. 2. et Lactantius Orpheum invenisse dicunt Dionysi vel Liberi sacra, quae deinde Orphica sunt appellata; 2) eademque fuisse ac Sabazia sive Phrygia sacra ostendit cerimoniarum summa cum fabulis Orphicis congruentia. Videantur modo, quae se cecinisse et docuisse ipse Orpheus refert:

ὀρεσσιδρόμου τε λατρείαν
μητρὸς, ἅτ᾽ ἐν Κυβέλοις ὄρεσιν μητίσατο κούρην
Φερσεφόνην περὶ πατρὸς ἀμαιμακέτου Κρονίωνος.
ὀργιάτ᾽ Ἰδαίων Κορυβάντων τ᾽ ἄπλετον ἰσχὺν,
Δήμητρός τε πλάνην, καὶ Φερσεφόνης μέγα πένθος,
Θεσμεφόρος θ᾽ ὡς ἦν, ἠδ᾽ ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων,
χρησμοὺς τ᾽ ἀῤῥήτους νυκτὸς περὶ Βάκχου ἄνακτος,
Λῆμνόν τε ζαθέην, ἠδ᾽ εἰναλίην Σαμοθρᾴκην. 3)

E Macrobio accipimus, in Thraciâ eundem haberi Solem atque Liberum, quem illi Sebadium nuncupantes magnificâ religione celebrabant; licet hoc nomen ab aliis Phrygium esse dicatur. 4) A Sabazii et Magnae matris cultoribus proximum ad Orpheotelestas transgressum esse, illosque iisdem sacris et artificiis adstrictos fuisse producit Plato.

---

1) Diod. Sic. V. 64. 2) Instit. I. 22.
3) Argon. v. 31. 4) Saturn. I. 18.

Orpheum denique Brucker ait, omnium maxime celebritatem inter Graecos consecutum esse, introductis mysteriis et theologiâ; quam cum ita ordinaret, ut populo, superstitionis freno subacto, miranda videretur, et arcanis cerimoniis magna et divina sponderet, vehementer Graecos in admirationem rapuit, quae tantopere animos occupavit, ut Orpheo non arduum fuerit gentes, quos rudes et barbaras inveniebat, feris liberare moribus, et societatis expolire disciplinâ. 1) Sic enim loquitur Aristophanes:

Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε,
φόνων τ' ἀπέχεσθαι. 2)

Ampliora sunt Horatii verba:

Silvestres homines sacer interpresque Deorum
caedibus et victu foedo deterruit Orpheus;
Fuit haec sapientia quondam:
publica privatis seeernere, sacra profanis,
concubitu prohibere vago, dare jura maritis;
oppida moliri, leges incidere ligno. 3)

Stesimbroti opinio, ὡς τὰ ἐν Σαμοθράκῃ ἱερὰ τοῖς Καβείροις ἐπετελεῖτο, non alia potuit esse, quam ea sacra, quae ἱερὰ Καβείρων dicuntur, hoc nomen habere, quia a Cabiris condita et admini-

---

1) Op l. T. II. p. 319. 2) Ran. v. 1064.
3) Art. Poët. v. 391.

strata fuerint, non quia Cabirorum causâ fierent. Strabo 1) et Apollonii Scholiastes 2) Cabiros narrant eosdem esse ac Corybantes, et nomen gerere a Cabiro Phrygiae monte, unde in Samothraciam advenerant. Mirandum illud de Cabiris traditur, si credere dignum est, quod, qui eorum sacris initiati essent, omnem maris tempestatem evadere crederentur. 3) Apparet etiam e duobus his Valerii Flacci II. 437. versibus:

Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos
excipit, hospitibus reserans secreta Thyotes.

Samothraciae pontificem maximum, simulac peregrina navis ex alto prospiceretur, in littus appropinquare solitum fuisse, ad nautas hospitio excipiendos, et in adytum templi ducendos. Quin etiam verisimile est, incolas hujus insulae, qui pauperes erant et piscando victum quaerebant, advenas his beneficiis sacrisque artificiis circumvenisse, ut sibi rependeretur pecunia aliaeque opes, quibus magnopere indigebant. Discitur enim ex hodiernis quidem moribus, homines ingratum solum inhabitantes, sicut Samothraciae, quae rupes erat arida et undique mari circumdata, nautis tempestate laborantibus auxiliari quidem, ne pereant, sed naves in littore illi-

1) X. 204. 2) Ad L. I. v. 913.
3) Cf. Gyraldi Histor. Deor. p. 23. C.

sas praedari solere. Legimus vero in Athenaeo 1) et in Cicerone, 2) Diagoram quoque tempestate et naufragio vexatum esse; dum in eodem capite Cicero nominatim dicit, eum in Samothraciam venisse, et illud narrat, quod etiam Diogenes Laërtius, incertus quidem utrum id Diogeni Cynico an Diagorae contigerit, sed certe acutius refert: *θαυμάζοντός τινος τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἀναθήματα, ἔφη· πολλῷ ἂν εἴη πλείω, εἰ καὶ οἱ μὴ σωθέντες ἀνετίθεσαν.* 3) En iterum Diagorae dictum, quod vulgo in impietatis accusationem detorquetur. Attamen humana fata expertis non opus est longâ confirmare demonstratione, Diagoram vere dixisse.

Ad hunc Laërtii locum illustrandum laudat Menagius Schol. Ar. Pac. v. 276. et Suidam, cujus verba haec: *ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἦσαν τελεταί τινες, ἃς ἐδόκουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακα κινδύνων τινῶν· ἦν δὲ ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης, καὶ τὸ Ζήρυνθον ἄντρον, ᾗ κύνες ἔθυον· ἐν κινδύνοις οὖν γενόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τοὺς δαίμονας ἐπιφανῆναι, καὶ ἀλεξῆσαι. ἐδόκουν δὲ οἱ μεμυημένοι ταῦτα ἐκ τῶν δεινῶν σώζεσθαι καὶ ἐκ χειμώνων.* Jam omnia mihi conjectare suadent, Diagoram, quum salvus e tempestate apud Samothraces appulisset, superstitiosis

1) XIII. 611. B. 2) N. D. III. 37. 3) VI. 59.

solvendorum votorum usibus, quos refugiebat, manus dare noluisse, sed solitos sacerdotum ritus detrectasse et illusisse, ita ut ansam praebuerit accusationi, quam idem Suidas refert: *ὁ δὲ πρὸς* (sic enim pro *περὶ* emendatum est) *τοὺς ἀτελέστους καὶ βεβήλους ἐξεφοίτα τὰ τῶν Σαμοθρᾳκῶν ὄργια, ὅς φωραθεὶς ἀπέδρα πρὸς τοὺς Κυζικηνούς·* 1) quapropter, eodem teste, *καὶ οἱ Σαμοθρᾷκες κηρύττουσι κήρυγμα τὸν ζῶντα αὐτὸν ἀγαγόντα δύο τάλαντα ἔχειν.* 2) Nam licet Diagorae nomen hic non scribatur, nihil tamen credere prohibet, hoc loco ad illum respici, qui posthaec sorte proscriptionis tam graviter punitus fuit.

3o. *De Eleusiniis sacris.* 3)

Qui Orpheum indistincte teletas invenisse affirmant, non impediunt, quo minus unum earum genus seorsum Eumolpo inscribamus auctori, qui, ait Plutarchus, *ἐκ Θρᾴκης μεταστὰς ἐμύησε καὶ μυεῖ τοὺς Ἕλληνας.* 4) Lucianus quoque meminit *τοῦ τὴν τελετὴν αὐτοῖς καταστησαμένου Εὐμόλ-*

1) In voc. ἐξεφοίτα.

2) In voc. ἀναδεῖ. 3) Lobeck op. l. p. 3.

4) In lib. de Exilio p. 607. B.

που βαρβάρου καὶ Θρᾳκὸς ὄντος· 1) qui Erechtheo Athenis regnante, Eleusinios unâ cum allatis frumentis et vino, doctrinam Cereris et Bacchi docuit. Locum enim, qui primus munus istud accepit, Eleusin, ab adventu nimirum, vocant, quod aliunde frumentum qui apportavit, eo pervenerit. 2) Huc etiam referri potest, quod Plinius tradit: culturas vitium et arborum invenisse Eumolpum Atheniensem. 3) Inde sacra illa mystica, quibus ipse ejusque posteri semper praefuerunt, et quae cum Phrygiis quam cognata fuerint, ostendit Clemens Alexandrinus: Δηοῦς μυστήρια καὶ Διὸς πρὸς μήτερα Δήμητρα ἀφροδίσιοι συμπλοκαὶ καὶ μῆνις τῆς Δηοῦς καὶ Διὸς ἱκετηρίαι· ταῦτα τελίσκουσιν οἱ Φρύγες Ἄττιδι καὶ Κυβέλῃ καὶ Κορύβασι. 4) Hujus affinitatis vestigia porro reperimus in Eleusiniorum sacrorum cum Phrygiis similitudine, quae magnopere cernitur in arcano fabularum sensu, in rituum atione et in totius rei proposito fine.

Loco Cybeles et Attidis vel Sabazii prodeunt nunc Ceres, Graece Δη- vel Γημήτηρ, Proserpina et Bacchus: Scholiastes Pindari πάρεδρον Δήμητρος vocat τὸν Διόνυσον κατὰ μὲν τὸν μυστι-

1) In Demonacte §. 34. Ed. Hemsterh.
2) Diod. Sic. V. 69. 3) Hist. Nat. VII. 57.
4) Protrept. p. 10. D.

κὸν λόγον· κατὰ δὲ τὸν φυσικὸν, ἐπειδὴ τῇ ξηρᾷ τροφῇ, ἡ ἀνάκειται τῇ Δήμητρι, παρέπεται ἡ τοῦ οἴνου χρῆσις. 1) Nam Baccho, alias bimatri, multisve e matribus nato, fabularum auctores tertium praeterea ortum affingunt, quo ex Jove et Cerere sit prognatus, quod figmentum ad rationes physiologiae reducunt: Jovis enim et Cereris filium dici Liberum, quod vitis a terrâ et imbre augmentum nacta, vini liquorem producat. 2) Eodem sensu Cereris filiam aetas mortalium consequens modo Liberam modo Proserpinam nuncupavit. 3) Sic etiam Cicero: *nam et natas esse in his Deas, et fruges in eâ terrâ primum repertas arbitrantur, et raptam esse* Liberam, *quam eandem* Proserpinam *vocant.* 4) Hanc Proserpinam rapuit Pluto, quam frugum semen esse volunt, absconditamque quaeri a matre fingunt. 5) Quum enim fruges hiemali tempore defuissent, excogitabatur fabula pacti, quod Jupiter cum Orco fecerat, Proserpinam nempe vicissim per dimidiatum annum in inferis, reliquum apud superos moraturam esse. Itaque orco frumentum detinente, terra sterilita-

---

1) Ad. Isthm. VII. v. 3. 2) Diod. Sic. III. 62.

3) Arnob. adv. Gent. V. 29.

4) In Verr. IV. 49. Cf. Aug. de Civ. Dei VII. 19.

5) Cic. N. D. II. 26.

te moeret, et luctu publico jacturam celebrat. Frugibus vere redeuntibus, exoriebatur laetitia, et ex hoc ei solemnia Eleusinia instituta, 1) quae duplicis erant generis, *μεγάλα* et *μικρά*· illa Cereri, haec Proserpinae fiebant. Nec deërant planctus et strepitus Corybantium et Curetum, quorum ministerio Proserpina, *κόρη* dicta, utebatur. Praeter haec in Bacchi cum Cerere juncti sacris orgiis, quae Dionysiaca appellantur, ithyphallus, quem mulieres honore et donis prosequebantur, aeque aç in Phrygiis, redeuntis fertilitatis symbolum, circumferebatur. 2)

Eodem, quo Orpheus, consilio Eumolpus Eleusinia mihi videtur instituisse, nimirum ut religionis superstitionisque vi agrestem nationem erudiret, et ad agriculturam legesque accipiendas adduceret, ita ut humanae civitatis initia sensim conderentur. 3) Sic enim cecinit Virgilius:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit. 4)

Et Aeneid. IV. 58 mentionem facit *Legiferae Cereris*, 5) quem ad versum Servius inquit: *Leges*

---

1) Schol. Ar. Plut. v. 846.

2) Cf. Ar. Ach. v. 242. et Schol. ad Nub. v. 71.

3) Cic. de Legib. II. 14

4) Georg. L. I. v. 147.

5) Cf. Hesych. in voce.

autem dicitur Ceres invenisse, nam et sacra ipsius Thesmophoria vocantur. sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum a Cerere, passim homines sine lege vagabantur, quae feritas interrupta est, invento usu frumentorum, postquam ex agrorum divisione nata sunt jura. Hinc poëta:

Prima Ceres unco terram dimovit aratro,
prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.

Sic plurima in veterum mysteriis ad res naturales, naturalemque theologiam revocata fuisse, testatur Varro apud Augustinum: 1) ubi docet multa in Cereris initiis tradi, quae non nisi ad frugum inventionem pertineant. Et idem Augustinus ipse: *Haec sunt Telluris et Magnae matris praeclara mysteria, unde omnia referuntur ad mortalia semina et exercendam agriculturam.* 2) Cotta quidem apud Ciceronem, commemoratis Prodici, Diagorae et aliorum sententiis, verbo tangit Eleusinia et Samothracia, *quibus*, ait ipse, *explicatis ad rationemque revocatis, rerum magis natura cognoscitur quam deorum.* 3)

Itaque omnium, quae demonstrare studui, summa sit: Diagoram in Phrygiorum sermo-

1) de Civ. Dei, VII. 20. 2 Ib. 24. 3) N. D. I. 42.

num libro Phrygios mythos explicuisse, quorum doctrina cum eadem esset ac mysteriorum, illum non facere potuisse, quin cum illos interpretaretur, haec etiam, vellet nollet, expandere coactus esset.

4°. *De Diagorae Novis Diis.* 1)

Hoc etiam in opere Diagorae caput invenire mihi videor criminis, quo cum atheus, tum ὁς καινὰ δαιμόνια εἰσηγεῖτο, perhibebatur. 2) Postea quidem, narrante Strabone, Ἀθηναῖοι δὲ πολλὰ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν, καὶ δὴ καὶ τὰ Θρᾴκια καὶ τὰ Φρύγια. Plato etiam in Reip. L. I. p. 327. Bendin Deam intelligit, cujus festa Bendidia tunc primum e Thraciâ Athenas erant allata. Sed ille mos, qui post Diagorae aetatem demum usui venit, vivo illo, crimini dabatur. Nam τοῖς Ἑλλήνων ἐδόκει νόμοις μηδὲ χρῆναι θεοὺς τοῖς οὖσι καὶ ἐγνωσμένοις ἐπικρίνειν ἑτέρους. 3) Res capitalis erat, dum simul ipsi peregrini dii a comicis in scenâ contumeliose carpebantur et cachinnis explodebantur. Phrynichus in fa-

1) Lobeck op. l. p. 1007.

2) Schol. Ar. Ran. v. 323. 3) Cyr. c. Jul. VI. p. 189. D.

bulâ, cui titulus *θεοί*, et Theopompus Attida rident. Eupolis in Baptarum fabulâ Cotyttiorum sacrorum turpitudinem produxit. Hesychius diserte Eupolin, odio erga Corinthios permotum, Cotytio deam in scenâ traduxisse testatur: *Κοτυττώ· ὁ μὲν Εὔπολις κατ' ἔχθος τὸ πρὸς Κορινθίους φορτικόν τινα δαίμονα διατίθεται.* Conjicio hoc fuisse Eupolidi propositum, ut flagitiorum Corinthiorum, apud quos summa fuit Cotyttiorum sanctimonia, libidinem taxaret, eoque ipso Cotyttia sacra in contemtum adduceret, et ne Athenis reciperentur, caveret. Buttman in dissertatione de Baptis et Cotyttiis novam, sed argumento destitutam, conjecturam in medium attulit: Eupolin scilicet Cotyttûs nomine non Cotytto sed Cererem significasse. Novos igitur hos Diagorae deos, extraneos sive Phrygios fuisse credo, qui Athenis tunc temporis nondum obtinuerant cultum, et quorum naturam historiamque Atheniensibus evulgaverat. Fuere enim Cybele, Attis et Sabazius, quos non minore acerbitate vexat Aristophanes, ut e civitate ejiciantur. 1) Ex. g. in Vespis. v. 9:

ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.

Cf. Lysistratae v. 389, et in Avib. v. 863:

Epops. ἱερεῦ, σὸν ἔργον, θῦε τοῖς καινοῖς θεοῖς.

1) Cic. de Legib. II. 15.

εὔχεσθε ....
καὶ Φρυγίλῳ Σαβαζίῳ,
καὶ Στρουθῷ μεγάλῃ
μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων,
Δέσποινᾳ Κυβέλῃ, κ. τ. λ.

§ 2. *De Vulgatorum mysteriorum criminatione.*

Primum vim et momentum perpendere oportet verborum, quibus utuntur auctores, qui Diagoram vulgatorum mysteriorum accusaverunt.

Apud Athenagoram dictus est, τὸν Ὀρφικὸν λόγον εἰς μέσον κατατιθέναι. 1) Illud Ὀρφ. λόγ. nisi de sacris intelligendum sit, quemadmodum Theophilus Rainaudus etiam per Orphei sacrorum morem reddit, accipiendum erit de carminibus, quae sub Orphei nomine ferebantur, vel, Orphicam doctrinam continentia, in Orphei sacris adhibebantur. Nam illud carmen re verâ confectum esse a quodam Pythagorico Cercope vel Onomacrito ferunt. At si dogmata Orphei in lucem protrahere nefas esset, unde est illa versuum Orphicorum multitudo, per omnes libros sparsa? quae tanta est, ut nullius

1) Leg. pro Christ. I. 1.

fere aut Graeci aut Latini poëtae plures habeamus reliquias. Hos autem qui proferunt, a primo Platone usque ad Proculum et Hermiam, tam aperte id faciunt, tam sine ambagibus, ut appareat nullam fuisse divulgandi religionem, ne apud illos quidem qui Orphei nomen superstitiose atque aniliter venerati sunt.

Facinus τοῦ μυστήρια διηγεῖσθαι, 1) κοινοποιεῖν 2) et δημεύειν 3) Diagoram non de industriâ, sed nescium et invitum commisisse, ex eo conjicio, quod ille hospes erat, Melius nempe, quem nefas erat initiari: ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν ξένοις τότε μυεῖσθαι, 4) quae totidem verbis Arist. Schol: νόμος ἦν Ἀθηναίοις μηδενὰ ξένον μυεῖν. 5) Itaque Lysias de Diagorae piaculo, τό μὲν γὰρ ὥσπερ ἀλλότριον ἐστὶν ἁμάρτημα, ait; 6) et in eâdem oratione: τοσούτῳ δ' οὗτος Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος γεγένηται· ἐκεῖνος μὲν γὰρ λόγῳ περὶ τὰ ἀλλότρια ἱερὰ καὶ ἑορτὰς ἠσέβει, κ. τ. λ. Idem contigerat Aeschylo, qui μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπὼν, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας αὐτὸν μὴ μεμυη-

---

1) Schol. Ar Il. Il. 2) Ibid 3) Athenag. l. l.

4) Apollod. Cf. Meursius de Eleus. c. 19.

5) Ad Plut. v. 1014. Cf. Sam. Petit. de Legg. Attic. Lib. I. Tit. 1. p. 32.

6) Or. c. Andoc. p. 214. Ed. Reisk.

μένον. 1) Neque credere convenit Diagoram, qui apud Athenienses tam inique innotuerat, ab illis civitate donari potuisse. Ostendimus nimirum p. 17. illi exprobratum fuisse, quod barbarus esset.

Severiora tamen, quae Diagorae culpam intendunt, verba supersunt in diversis locis; refert Cyrillus: *Διαγόρᾳ ποτὲ τῷ Μηλίῳ κατασκώψαντι τελετὰς πανηγύρεις τε τὰς παρ' αὐτοῖς, καὶ μυστήρια, τοσοῦτον ἐπιμηνίσαι τοὺς τῶν ἱερῶν νόμων προεστηκότας κ. τ. λ.* 2) Praeterea perhibetur mysteria *χλευάζειν* a Josepho, 3) *ἐξορχεῖν* a Tatiano, 4) *εὐτελίζειν* ait Tarrhaeus in Proverbiis, *ὡς πολλοὺς ἐκτρέπειν τῆς ἀρετῆς*. lege *τελετῆς* e collatis Scholl. Arist. 5) quorum alter *καὶ τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι ἀποτρέπων* addit.

De verbi *ἐκωμῴδει*, quod scribit Libanius, significatione p. 14 sq. jam egimus, ubi Diagoram inter comicos numerari dixi.

Hasce criminationes urgentes esse non quidem inficior, sed illas nihilo minus facillime refellere posse mihi videor eâdem responsione, quam Luciani Demonax, ejusdemmodi reus, dedit: *ὅτι ἂν*

1) Clem. Al. Strom. II. p. 387. A.
2) c. Julian. VI. p. 190. A.
3) c. Apion. II. p. 1079. G.
4) Orat. c. Graec. p. 164. A.
5) Ad. Av. v. 1072.

τε φαῦλα ἦν τὰ μυστήρια, οὐ σιωπήσεται πρὸς τοὺς μηδέπω μεμυημένους, ἀλλ' ἀποτρέψει αὐτοὺς τῶν ὀργίων. ἄν τε καλὰ, πᾶσιν αὐτὰ ἐξαγορεύσει ὑπὸ φιλανθρωπίας. 1) Hujus dilemmatis utramque hypothesin quodammodo veram et audiendam esse credo.

Arcanam enim mysteriorum doctrinam non stolidam esse, sed veritatem et sapientiam continuisse, plane persuasum habeo; 2) verum certe viris tantum paucissimis et civitatis principibus notam fuisse: nam, quod nemo nescit, non amplius mysterium est. Ex indole Atheniensium consequitur quidem, hujusmodi secretas societates Graecorum suspicionem sollicitare debuisse, et paria civium reipublicae jura laesum iri, si plebs a publicis mysteriis arceretur. Provida civitatis solertia universos igitur in templum recipiebat, καὶ αὐτέων τε ὁ βουλόμενος καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μυεῖται. 3) Sed non omnes ad intima arcanorum admittebantur: plebecula minimum veluti gustum hauriebat doctrinae sublimioris, eoque

1) §. 11. Ed. Hemsterh.

2) Vidd. Creuzer Symbol. IV. p. 540. sqq. — Sainte Croix Myst. du Pagan. 1. 397. sqq. — Barthel. voyage d'Anach. V. 563. sqq. — Warburton de Div. Leg. Mos. p. 137. sqq. — Dupuis Orig. des Cultes. IV. p. 369. sqq.

3) Herod. VIII. 65.

modo cavebant Hierophantae, ne excluderent quemquam aditu, neve adeuntibus plus praeberent, quam concoquere possent. Vulgus itaque terrificis cerimoniis turbatum, apparatuque praetexto, pone quem non perspicax nihil latere suspicabatur, praestrictum, et atrocibus sacramentis et Epoptarum poenis coërcitum, placabatur tandem et leniter decipiebatur communibus spectaculis, festis et obscoenis fortasse ludis voluptatibusque, unde apud posteros mysteriis tam grave turpitudinis probrum est conflatum. Eleusinia quoque pessime audiebant, in quibus eo usque insania processit, ut ejusmodi institutis se Deum colere arbitrarentur, quibus non poterat non vel maxime offendi, imo quibus nil turpius nil execrabilius excogitari potuit. 1) Foedissima facinora re verâ Romae in Bacchanalibus perpetrari solita fuisse, docet historia. 2)

Inde tot et tanta convicia, quibus Eccl. Patres in mysteria sunt invecti, quorum nonnulla describere convenit. Sic loquitur Evagrius: *καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καθ᾽ ἓν μόνον ἐπαινετά, ὅτι γε ἥλιος οὐχ ὁρᾷ, ἀλλὰ τῷ σκότῳ συνοικεῖν κατεκρίθησαν.* 3) Clemens in Protrepticis Orphei versus laudat, quo-

1) Budd. Thes. de Ath. c. 8. §. 7.

2) Tit. Liv. XXXIX. 10. Cic. de Legib. II. 15.

3) Hist. Eccles. l. III. c. 11.

rum vulgus, sensum ignorans, dedecore gaudebat.

Ὡς εἰποῦσα (Ceres) πέπλους ἀνεσυράτο· δεῖξε δὲ σώματος οὐδὲ πρέποντα τόπον. (πάντα

Ibidem: ἤδη δὲ (καὶ γὰρ καιρὸς) αὐτὰ ὑμῶν τὰ ὄργια ἐξελέγξω, ἀπάτης καὶ τερατείας ἔμπλεα. et ibid: τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης (τῆς Δηοῦς) ἐκ περιουσίας παρατεθέντα, οἶδα ὅτι γέλωτα κινήσει, κἂν μὴ γελᾶσαι ἔπεισιν ὑμῖν.

Haec denique potissimum fuerunt in causâ, quod sanae mentis viri sapientiam non in mysteriis vel orgiis quaesitum ibant; quorum exemplum ne defectionem moliretur, neque Eleusiniis detrimentum faceret, vel auctoritatem subduceret, omnes qui, quum possent initiari, non initiati essent, impietatis damnabantur et contemtus deorum. Beatitudo sempiterna unicuique contra, quantovis scelerato, dum modo mysteriis accederet, spondebatur. Ab illis mysticis sacris abhorruisse tamen Diogenem Cynicum, aliosque spectandos virtute viros, narrat Laërtius: ἀξιούντων Ἀθηναίων μυηθῆναι αὐτὸν, καὶ λεγόντων, ὡς ἐν ᾅδου προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι· γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν καὶ Ἐπαμεινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δὲ τινὲς μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται. 1) Idem refert Plutarchus in libro de Aud.

1) VI. 39.

Poët. sed paulo aliter: Sophocles quum scripsisset:

ὡς τρισόλβιοι
κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
μόλωσ' ἐς ᾅδου· τοῖς δὲ γὰρ μόνοις ἐκεῖ
ζῆν ἔστι, τοῖς δ'ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Διογένης δ'ἀκούσας τι τοιοῦτον, τί λέγεις; ἔφη, κρείττονα μοῖραν ἕξει Παταικίων ὁ κλέπτης ἀποθανὼν ἢ Ἐπαμεινώνδας, ὅτι μεμύηται; Neque Socrates mysteriorum partibus deditus erat, quod colligere est e Luciani Demonactis l. 1: καὶ τινὲς ἐπ' αὐτὸν ἀνέστησαν Ἄνυτοι καὶ Μέλιτοι, τὰ αὐτὰ κατηγοροῦντες, ἅπερ κᾳκεῖνοι τότε, ὅτι οὔτε θύων ὤφθη πώποτε, οὔτε ἐμυήθη μόνος ἁπάντων ταῖς Ἐλευσινίαις, scilicet τελεταῖς. 1) Sapientissimus enim ille vir, de rebus divinis omnia eadem sentiens, quae mysteriorum principes et antistites, propterea nomen apud illos profiteri noluit, ne prohiberetur ea palam omnibus dicere, quae illi paucis nota esse vellent. Nam in Eleusiniis aperto vivere voto, μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι, non conducebat. 1)

1) Sic Guietus; Lobeck vero θεαῖς subintelligit.

2) Lobeck op. laud. p. 21.

Caput VIII.

De Causis, quas Diagoram atheismi notâ infecisse verisimile est. 1)

Diagorae vero, non tantâ impietate inter philosophos aequales eminenti, cur tandem Athenienses tam graviter prae aliis succensuerunt? Et unde tam vehemens indignatio provocabatur, ut illum universâ devotione ferirent; et constans fama Diagoram ad seram usque posteritatem turpissimâ atheismi labe traderet affectum? Horum praecipuis in causis mihi videor reperire summam imprudentiam, cujus Diagoras, quamquam optimis consiliis intendens, in agendi tamen ratione absolvi nequit. Nimirum cum alii, qui in eâdem erant sententiâ, per ambages incederent, hic magnâ imprudentiâ

1) Cf. p. 72.

egit, aperte et sine ullâ dissimulatione. 2) Vetus est opinio, antiquos philosophos duplici genere docendi usos esse, uno ad populum, altero familiares inter: hanc esotericam vocari et intimam doctrinam, illam popularem: *ὁ Πλάτων καὶ ὁ Σωκράτης τὸν τῶν οὐκ ὄντων θεῶν ἐξήλασαν ὁρμαθὸν, καὶ μόνον τῶν ὅλων τὸν πρύτανιν αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι παρεκελεύσαντο· διδάσκοντες ὡς εἴποτε πλειόνων ἐμνήσθη θεῶν, διὰ τὸν ἐξηπατημένον τῶν Ἀθηναίων ὅμιλον προσηναγκάσθη.* 1) Etsi stolidarum opinionum, quibus deditum erat vulgus, conscii, institutionem ideo non publicam, sed coram certo discipulorum numero et intra parietes profitebantur, vulgaribus abstinebant, neque pravum caecutientis turbae judicium periclitabantur. 2) *Πλάτων ἀποδεξάμενος μὲν τὴν περὶ ἑνὸς καὶ μόνου θεοῦ διδασκαλίαν, διὰ δὲ τὰ συμβεβηκότα Σωκράτει δεδιὼς, μήπως καὶ αὐτὸς Ἄνυτόν τινα ἢ καὶ Μέλιτον καθ' ἑαυτοῦ γενέσθαι παρασκευάσῃ, κατηγοροῦντα αὐτοῦ παρ' Ἀθηναίοις καὶ λέγοντα· Πλάτων ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται, θεοὺς, οὓς ἡ πόλις νομίζει, οὐ νομίζων, φόβῳ τοῦ κωνείου ποικίλον τινὰ καὶ ἐσχηματισμένον τὸν περὶ θεῶν γυμνάζει λόγον,*

---

1) Budd. op. laud. C. I. §. 19.

2) Theodoret. Th. Gr. Serm. II. p. 492. C. Cf. Cic. N. D. I. 30.

εἶναι τε θεοὺς τοῖς βουλομένοις, καὶ μὴ εἶναι οἷς τἀναντία δοκεῖ, τῷ λόγῳ κατασκευάζων, ὡς ἔσται ῥᾴδιον ἀπ' αὐτῶν τῶν ὑπ' αὐτοῦ λεχθέντων γνῶναι. Et paulo post: ταῦτα τοίνυν ἐν Αἰγύπτῳ μαθὼν ὁ Πλάτων, καὶ σφόδρα ἀρεσθεὶς τοῖς περὶ ἑνὸς θεοῦ εἰρημένοις, διὰ τὸ ἕνα καὶ μόνον διδάσκειν θεὸν μνημονεῦσαι παρ' Ἀθηναίοις οὐκ ἀσφαλὲς ἡγεῖτο, δεδιὼς τὸν Ἄρειον πάγον. 1)

Sed Diagoras, qui et reipublicae gerendae prudens erat, 2) moliebatur fortasse, quod Plato tantum chartae mandaverat, laborem unius hominis vitâ majorem et longiorem, scilicet, rei civilis cum philosophiâ scientiam conciliandi: ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλῆς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία. 3) Itaque nimio studio ductus, rem incaute gessit, ubique jam solitos usus offendens, neque popularem religionem laedere verebatur. Imbecilli et hebeti multitudinis ingenio vitiosas inanium deorum ideäs eripiebat, sed exstinctâ superstitionis fallace face, nil nisi meras tenebras relinquebat, quippe quod vulgus puriorem Dei notitiam per altiora philoso-

1) Just. Mart. ad Graec. Cohort. p. 18 E. et 20. D.
2) Cf. p. 23. sq. 3) Rep. L. V. p. 437. D.

phiae fruticeta assequi non poterat. Praeterea nil credere vetat, Diagoram in scriptis et colloquiis vehementiore, quam Socratem, usum esse ironiâ, 1) quae credulis esset offensioni, levibus voluptati; sed inter illos, quorum intererat, multos illi inimicos excitaret. Tempora quoque, quibus Athenienses tunc erant impediti, et in quae Diagoras inciderat, huic omnino fuerunt iniqua. Mantineënses enim, quorum amicus erat, deficiebant ab Athenarum foedere. 2) Melos, unde erat, capiebatur, et ipsius incolae in expugnatione sentiebant, quam invisos civis sui causa ipsos reddiderat: *διεβέβληντο δὲ ἐπὶ ἀθεΐᾳ οἱ Μήλιοι ἀπὸ Διαγόρου.* 3) Etiam cum Clavierio me putare convenit, Diagoram perinde ac Socratem, Alcibiadis fuisse familiarem et consortem: 5) hoc enim liquet, quamvis amborum nomina nuspiam a scriptoribus junctim nuncupentur, e similitudine fati, quod insuper eodem tempore evenit. Nullus, an ita sit, dubitationi locus relinquetur, si conferentur Aristoph. Aves, 6) Diodorus Siculus, 7) Cornelius Nepos, 8) Thucydides, 9) et ad hunc locum annotatio Dukeri.

---

1) Cf. Meier op. l. p. 445. 2) Cf. p. 25.
3) Cff. pp. 13. et 37 4) Schol. Ar. Nub. v. 829.
5) in op. p. 9. laud. 6) Ad v. 1072. 7) XIII. 5.
8) in Alcib. c. 3 et 4. 9) VI. 60.

Alcibiades autem cum petulantibus sociis, qui nobilissimae juventutis erant, universis fere Atheniensibus erat invidiae et obtrectationi. Adspergebatur etiam infamiâ, quod in domo suâ facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur. 1) Hoc Plutarchus Alcibiadem fecisse narrat in Politionis domo, δᾳδουχίας καὶ ἱεροφαντίας imitantem: 2) idem refert Andocides *de Mysteriis.* Fuere etiam qui propter simultates privatas Alcibiadem calumniis insectabantur, quasi συνωμοσίαν κατὰ τοῦ δήμου πεποιημένον. 3) Neque sine ratione suspicor, Diagoram idem, quod Anaxagorae Periclis amico contigit, 4) perpessum esse: Athenienses nempe nobilem et multa potentem Alcibiadem caventes, ejus socios et Diagoram adortos esse, quos hanc ob rem eidem violatorum mysteriorum culpae implicuerint.

Secundum *leges poenasque*, de istiusmodi sacrilegis ausis sancitas, omni civi licebat accusationem intendere et crimen deferre, quod dicebatur φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα. 5) hujus ex Archontibus

---

1) C. Nep. in Alcib. c. 3.

2) Symp. I. quaest. 4. p. 621. C.

3) Diod. Sic. XIII. 5.

4) Cf. p. 44. sq.

5) Demosthen. adv. Androtion. p. 601. Ed. Reisk.

secundi munus erat, causas quasdam cognoscere, si qui alios impietatis accusaret. Sed quum ad Cereris sacra pertineret, rerum lex erat ἀπάγειν, γράφεσθαι, δικάζεσθαι πρὸς Εὐμολπίδας, 1) quos ex instituto Solonis, τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ solere, dicit Andocides l. l. Eumolpidarum decretum legis habebat vim, neque provocatione poterat eludi. Athenienses, ait Lysias, περὶ τῶν ἀσεβούντων μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νομοῖς περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ δὲ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται· οὓς οὐδεὶς πω κύριος ἐγένετο καθελεῖν, οὐδ' ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν. 2) Poenam sacrilegis constitutam memorat Plato: ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν ληφθῇ, ἐὰν μὲν ᾖ δοῦλος ἢ ξένος (qualis erat Diagoras) ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφορὰν, καὶ μαστιγωθεὶς ὁπόσας ἂν δόξῃ τοῖς δικασταῖς, ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας γυμνὸς ἐκβληθήτω. 3) Mysteria qui in vulgus ediderat, quâ poenâ afficiebatur; meminit hujus legis Sopater: τὸν δ' ἐξειπόντα τὰ μυστήρια τεθνάναι. 4)

Non plurimis opus est verbis, ut ostendam Diagorae atrocissimam tempestatem imminere, et diu-

---

1) Dem. Ibid. 2) Or. c. Andoc. p. 204. Ed. Reisk.

3) de Legib. L. IX. p. 854. D.

4) Cf. Sam. Petit. de Legib. Atticis. L. I. Tit. I p. 23.

turniorem Athenis commorationem ei valde periculosam fieri potuisse. Diximus jam supra, Diagoram in summo discrimine fuisse, quum ab Atheniensibus aliquando ad mortis supplicium deductus, Deorum, si essent, auxilium, extensis manibus, invocaret. 1) Usque adhuc honor et metus Alcibiadis Diagoram incolumem servaverant; sed quum Ol. 91 anno 2 Hermae temerati essent a quibusdam comessantibus, et hanc ob causam vulgus exardesceret indignatione; quum postridie Alcibiades ad obsidendas Syracusas classe profectus esset; inermis et nusquam tutus Diagoras relinquebatur. Neque amplius amicorum, quos multos habuerat, praesidio, neque oratione disertâ custodiebatur: *Διαγόρας ὁ Μήλιος, καὶ Διόδωρος ὁ λεγόμενος ἄθεος, καίτοι φίλους εἶχον καὶ δύναμιν τὴν ἀπὸ τῶν λόγων, καὶ ἐπὶ φιλοσοφίᾳ ἐθαυμάζοντο, ἀλλ' ὅμως οὐδὲν τούτων αὐτοὺς ὤνησεν.* 2)

Omnibus ergo fugam cohortantibus, Diagoras eodem hoc anno discrimen aufugiendo praevertit, sicut Diod. Sic. nobis tradit: *Διαγόρας ..... καὶ φοβηθεὶς τὸν δῆμον ἔφυγεν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.* In navem conscendit, et in hocce itinere accidit ei, ut procellis et naufragio jactaretur, teste Athenaeo:

---

1) Cf. p. 78.

2) Joan. Chrys. l. p. 34. laud.

Διαγόρας ἐφυγαδεύθη, ὅτε καὶ πλέον (lege *πλέων*) *ναυαγίᾳ ἐχρήσατο.* 1) Tunc vero acutam fecit responsionem, quam in simili certe casu Diagoram edidisse narrat Cicero, scilicet, quum ei naviganti vectores, adversâ tempestate timidi et perterriti, dicerent, non injuriâ sibi illud accidere, qui illum in eandem navem recepissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes, quaesivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent. 2) Non tamen, fractâ nave, periit in undis, ut Protagoras: 3) nam in sequente capite Diagoram apud Pellaneos latentem deprehendemus.

---

1) XIII. 611. B. Cf. p. 98 sq. 2) N. D. III. 37.
3) Cf. p. 47.

Caput IX.

De Atheniensium in Diagoram decreto, illiusque morte.

Tum Athenienses, exhibitis in judicio Alcibiadis aliorumque, qui simul aufugerant, nominibus, indictâ illos causâ capite damnarunt, *δίκην ἐρήμην κατεδίκασαν θανάτου.* 1) Idem Thucydides: *τοὺς δὲ καταιτιαθέντες, κρίσεις ποιήσαντες, τοὺς μὲν ἀπέκτειναν, ὅσοι ξυνελήφθησαν, τῶν δὲ διαφυγόντων θάνατον καταγνόντες, ἐπανεῖπον ἀργύριον τῷ ἀποκτείναντι.* 2) Hos inter comprehensus erat Diagoras.

Judicium illud e psephismate ferebatur: *ὅθεν καὶ Ἀθηναῖοι ὡς χλευάζοντος τοὺς θεοὺς κατεψηφισαμένοι ἀνεκήρυξαν τῷ μὲν ἀναιρήσοντι, ἀργυ-*

1) Diod. Sic. XIII. 5, 2) VI. 60.

ρίον τάλαντον· τῷ δὲ ζῶντα κομίσαντι, δύο. 1) Consentiunt de hujus decreti pollicitatione, locis jam saepius laudatis, Diod. Siculus, Libanius, Cyrillus, Josephus, et partim etiam Lysias, contra Andocid: *τοὺς δὲ φεύγοντας (ἀδικοῦντας) ζητεῖτε συλλαμβάνειν, ἐπικηρύττοντες τάλαντον ἀργυρίου δώσειν τῷ ἀπάγοντι* (vel *ἀπαγαγόντι*) *ἢ ἀποκτείναντι.* Mos fuit in Graeciâ per praeconem edicere, ei, qui hominem proscriptum occidisset, certam pecuniam praemio fore. Haec proprie dicebantur *ἐπικηρυκευόμενα χρήματα.* Eam pecuniam aut in foro aut in templis super arâ deponebant, quo libentius ad id praestandum accenderentur, ubi caedes gratuita non esset, et interfector praemium propositum auferre illico poterat. 2) *Τοῦτο οὖν*, ait Schol. Av. *ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ (οἱ) Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν χαλκῇ ἔγραψαν, ὥς φησι Μελάνθης ἐν τῷ περὶ μυστηρίων.* Similis quoque cippus erigebatur ad proscribendum Alcibiadem, qui se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, ejusque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pilâ lapideâ incisum, esse positum in publico. 3) Quin etiam Aristophanes in Avib. v. 1072. coram fre-

1) Schol. Ar. Ran. v. 323. et Av. v. 1072.

2) Cf. Valesius in Not. Maussaci ad Harpocr. p. 146.

3) Corn. Nep. I. I.

quente spectantium coronâ hoc in Diagoram et ceteros decretum sic e pulpitis enuntiavit:

> Τῇδε μέντοι θ'ἡμέρᾳ μάλιστ' ἐπαναγορεύεται·
> ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον,
> λαμβάνειν τάλαντον· ἤν τε τῶν τυράννων τις τινὰ
> τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λαμβάνειν.

Mortui illi tyranni erant Alcibiades nobilesque, οἱ ἐπὶ θανάτῳ φευγόντες· ἐν ὑπερβολῇ δὲ εἴρηται, τοὺς τε τεθνηκότας ἀποκτείνειν. 1) Itaque non facio cum alio Scholiastae commentario ad eundem versum: ἐκκεκήρυκται μάλιστα ὑπὸ τὴν ἅλωσιν Μήλου· οὐδὲν γὰρ κωλύει πρότερον. 2) Omnia enim impediunt, quo minus ante vel sub Meli expugnationem factum sit. Licet Bayle κωλύει intelligat de Diagora τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι *prohibente*, non tamen rerum ordinem evertet, nam Melos capta est Ol. 91 anno 1, 3) et Diagoras ejusdem Olympiadis anno 2 fugam capessivit. 4) Posthaec demum collocari potest proscriptio, quam Aristophanes quasi recentissime factam recitat in Avibus, eodem anno secundo in scenam productis. 5) Diagoras enim, si ante vel sub expugnationem Meli proscriptus fuisset, non ausus esset ad sequentem usque annum Athenis manere. Vox etiam ἀγαγόντι

---

1) Schol. ad. h. l. 2) Cf. p. 31. 3) Cf. p. 7. 4) Cf. p. 119. 5) Vid. Sam. Petit. Misc. I. 30.

ostendit absentem Diagoram; porro praesenti Diagorae non proscriptionem, sed actionem intendere, et diem dicere leges Atheniensium jussissent. Denique Diagoram se Pellanen contulisse et illic tuto commoratum esse, testatur Melanthes, in libro de mysteriis, τῆς χαλκῆς στήλης ἀντίγραφον referens, ἐν ῇ ἐπεκήρυξαν καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ἐκδιδόντας Πελλανεῖς. 1) Τοὺς ἐκδ. interpretatur Bayle *qui Diagorae libros in lucem ediderant;* sed potius scribo ex emendatione Meieri τοὺς μὴ ἐκδιδ. propterea eodem praeconio damnatos, quod Diagoram tradere nollent. Sed nescio cur idem Meier Παλληνεῖς vel Πελληνεῖς legere malit quam Πελλανεῖς. Non enim temere in Atticae vico Pallenê Diagoras securitatem quaesiverit. At in Peloponneso latibulum ejus indagari debere patet; nam Athenienses ἔπειθον δὲ καὶ τοὺς ἄλλους Πελοποννησίους, ne scilicet Diagoram hospitio tutarentur, sed ubique expellerent, ut Craterus memorat in Synagogê psephismatum. 2) Invenimus autem in Peloponneso Pellenen, urbem Achaiae, et Pallenen, Arcadiae oppidum. 3) Verum Pellane, cujus in-

1) Schol. Ar. Av. v. 1072. ubi male legitur Μένανδρος, a Bentleio correctum. Cf. p. 122.

2) Schol. Ar. Ran. v. 323. ubi Καρτερός sed perperam. Cf. Schol. Av. 1072.

3) Plin. N. H. IV. 6. Schol. Apollon. I. 177.

colas textus nominat, urbs est Laconiae: et ubinam gentium Diagoras tempore belli Peloponnesiaci tutius asylum optare poterat? Ab illis Athenienses, ex auctoritate quidem foederis, quod Ol. 89 anno 3 cum Lacedaemoniis ad annos quinquaginta fecerant, 1) Diagorae redditionem poposcerunt. Pellanei vero hospitem et supplicem eo magis prodere negaverunt, quod foedus vicissim jam plus semel esset infractum. Hanc ob repulsam Athenienses ne Pellaneos quidem e proscriptione eximere decreverunt. Sed cunctos cives uno capitali judicio involutos esse, nedum in induciis, credere nefas est. Fortasse modo genus erat androlepseos, vel jus homines pignoris loco capiendi: urbis enim illius, virum reum quem rogabatur, reddere negantis, per leges licebat tres cives raptos Athenas ducere, poenas daturos: 2) *πρὸς δὲ τούτοις ὁ νόμος· ἐὰν μήτε δίκας ὑπόσχωσι παρ' οἷς ἂν τὸ πάθος γένηται, μήτε τοὺς δεδρακότας ἐκδιδῶσι, κελεύει κατὰ τούτων εἶναι μέχρι τριῶν τὸ ἀνδρολήψιον.* 3)

Omnibus tamen his consiliis, successu carentibus, Diagoram salvum evasisse credo: siquidem proscriptum deprehendi et necari notissima fuisset res,

---

1) Vid. Sims. Chron. Anno 3583.

2) Suid. in voc. *ἀνδροληψία*.

3 Demosth. c. Aristocrat. p. 648. Ed. Reisk.

ejusque momenti, quam auctores, de nostro Melio locuti, referre operae pretium duxissent.

De reliquis Diagorae vitae gestis, quid ei posthaec contigerit, de his omnino silentium. Sed Diagoram tunc temporis jam senem fuisse, annos plus septuaginta natum, itaque posthaec non diu forsitan vixisse, credendum est ex illius aetatis definiendae ratione, quam p. 3 secutus sum. — Id tantum Suidas adhuc et Heraclides Ponticus narrant: Diagoram Corinthi, nesciunt quando, mortuum esse: *κατοικήσας δὲ Κόρινθον Διαγόρας, αὐτόθι τὸν βίον κατέστρεψε·* mortuoque Eretrienses imaginem posuisse: *Διαγόρᾳ εἰς Σπάρτην πορευομένῳ, καὶ ἐν Κορίνθῳ τελευτήσαντι, Ἐρετριεῖς εἰκόνα ἔστησαν.* 1)

1) Cf. p. 22.

ADDENDA.

Pag. 28. lin. 4. τί δὲ — ἔθνον; E Plutarchi laudatis verbis non perinde sequitur, Diagoram re verâ fuisse legislatorem; multoque minus illum leges religioni infensas tulisse. Hoc tantum scriptor vult dicere: se legibus superstitiosis fanaticisque praeferre leges, quae religionem adimant, cujusmodi leges atheus, qualem ipse Diagoram fuisse credit, ferre potuisset.

Non facio cum Bruckero et Harlesio, quorum verbis lin. 16 et pag. 29 lin. 3 imprudens usus sum: Baylium scilicet acutissimum atheismi atque disertissimum defensorem esse, et pro atheismo apologiam scripsisse. Neque enim jam tunc satis uberem Bayliani lexici lectionem feceram; neque postea sive in aliis sive in ipsis ad vocem Diagorae annotationibus, invenire licuit, ubi tandem hujus atrocis culpae argumenta laterent. Hac saltem in Diagorae voce atheismi patrocinium manifesto non occurrit, immeritoque Baylio objicitur. Hoc tantum contendit, Aelianum inepte egisse; perexitiosas quidem esse concedit civitati impias irreligiosasque

leges ; verum etiam neminem dubitaturum esse statuit, quin bonis justisque legibus, ab atheo compositis, uti magis profuerit, quam omnino nullis. Praeterea Franc. Balduinum absurditatis arguit. Ille enim Diagorae leges, quas ex Aeliano tantum cognoscere potuit, suspectas habet atheismi, quamvis vetus hic auctor, atheis inimicissimus, leges illas invitus laudaverit. Deinde Balduinus Diagoram Diocletiano aliisque Romanorum nomothetis, quorum pulchras sapientesque institutiones miratur, assimilat: et paulo tamen post contendit, optandum esse, nullam potius legislationem esse, nullam civitatem, quam ab istis prudentissimis viris gubernari. — Bene hunc excursum absolvit Bayle dicendo: *un bon logicien est plus rare qu'on ne pense.*

Pag. 29. Quae *Warburton* contra Baylii de atheismo opinionem scripsit, non adeo in nescio quâ dissertatione XIII, sed potius in illius *de Divinâ legatione Mosis* inveniuntur opere, quod mihi diu quaesitanti neque inspicere neque reperire contigit. —

Pag: 71. l. 16. *annuente.* lege potius *non impediente.*

Pag. 77. l. 8. Post verba *consc. et rel. patieb.*

addere vellem, me Diagorae narratum facinus non omnino laudare: imprudentis enim est, aperte vulgarem pietatem laedere, ideoque perniciem sibi moliri: sed non est impii neque athei, foedum fictae divinitatis simulacrum vituperare, quum, ipse quam sancte et recte de Deo ipso cogitaverit, in illius carminibus conferendis pag. 12 sqq. jam diximus.

Pag. 79. l. 3. ab inf. In dijudicandis Diagorae verbis, ὦ θεοί, εἴ ἐστὲ θεοί, σώσατέ με, duplicem illorum significationem non bene exposui. Prima est, quod ex opinione Epicureorum dictum foret: *o Dii, si non otiosi, neque imbecilles estis, servate me, ut inde appareat vos nostra curare posse et velle.* Est altera, quam magis Diagoram intellexisse credo: *o Dii, si re verâ estis, servate me, ut non amplius, num existatis, dubitem: quod nisi peragitis, vos vel non posse, vel ne esse quidem populus credet; et adhuc usque erravisse sibi videbitur.* Haec tamen lis Diagoram inter et Atheniensium turbam est istiusmodi, ut semper sub judice maneat, altero enim alteram propositionem faciente; de Diis nimirum popularibus cum populo agebatur. Diagoras autem ita argumentatus erit: *quum Dii non sunt, non ego, qui illos esse nego, reus sum neque Dii me servare*

possunt. Populus vero contra dixisset: *Quum Dii omnino sunt, tu, qui negas, reus es, ideoque Dii te servare nolunt.* Sic ex eodem eventu τοῦ non servari, duplex causa demonstrari potest.

Pag. 98. lin. 8. et 9. *θαυμάζοντος — ἀνετιθέασι.* Integra Ciceronis verba, quibus idem factum narrat, sunt: *At Diagoras, cum Samothraciam venisset, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidam amicus: tu qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? Ita fit, inquit, illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt, in marique perierunt.* Hîc Diagoras cognomen habet athei; ab amico autem Epicurei placiti, Deorum providentiam tollentis, reprehenditur. Ad primam atheismi scilicet accusationem animadverte, Diagoram, quem non hebetem neque ineptum fuisse jam saepius vidimus, ejusmodi responsione non usum fuisse, ut demonstraret, non esse Deum. Vere dixit, plerosque nave laborantes non servari; sed aeque ac unusquisque, sanâ ratione praeditus, plane persuasum habebat: Summum Numen, si sexcentos naufragos non exaudit, sed interire sinit, esse vel non esse, ita ut res maneat incerta. Si

tamen modo unum semel servaverit, necesse est ut sit, et suae οὐσιας manifestum dat indicium. — Hoc sane suadere conatus erit, quod referre mallem ad alteram, quam amicus illi faciebat, criminationem. Diagoras nempe ostendit, providentiam Dei tam invalido et inani argumento non confirmari posse. Concedit esse Deum, sed contendit, non a priore colligendum esse, num sit, neque quid valeat et velit. Ex effectu tamen patet, uniuscujusque rei existere causam. Si quid igitur acciderit, ex. g. si nonnulli servantur ex undis, nescimus utrum illud efficiat Deus, quem apprecati sunt, an alia causa. Posito, quod arbitraris, omnium rerum et factorum unam eandem causam Deum esse: sequitur inde, Deum plurimos, qui miserrime pereunt, servare vel non potuisse vel noluisse. Non vero providentem dicimus deum, quum illi non necessario et semper potestas et voluntas est humanorum curandorum. Constat quidem, contrarias res ex eâdem origine oriri, et simul in eandem finem conducere posse; sed Deum hoc modo providere ex arbitrio contenditur: nam neque a priore, sicut jam diximus, stabilire est, neque e contrariorum eventu brevis humana mens indagare potest. Sic Diagoras amico jam ostendit, falsam et cassam esse rationem, si demonstrare studes divinam providentiae verita-

tem, quam nobis Deus ipse in sacris tantum literis aperuit.

Pag. 108. in fin. ὅτι ἂν — φιλανθρωπίας. Illud Demonactis dilemma non adhibui, ut Diagorae accusationem, incertâ propositione factâ, lepide avertam; sed in seriis omnino haecce responsione, quamquam a jocoso Luciano scriptâ, licet uti. Non enim opus est in ipsâ, de quâ agitur, mysteriorum causâ ad inanem ambiguitatem profugere. Est ambidextra responsio, cujus vis non dubia sed duplex est; et utramque illius hypothesin, quamvis pugnare videantur, alteram ex alterâ parte tamen esse veram et simul audiendam ostendere studui.

THESES.

I.

Astii conjecturam, in Platonis Reip. III. p. 387 C. pro θερμότεροι legentis ἀθυμότεροι, accipiendam esse censeo.

II.

Facio cum iis, qui Aeneid. IV. 558, 559,

omnia Mercurio similis, vocemque coloremque
et crines flavos et membra decora juventâ,

ibi a manu alienâ positos esse judicant.

III.

Minus recte Annaeus Florus tradidit I. 10. Brutum et Aruntem cecidisse in bello, quod Porsena pro Tarquiniis gerebat.

IV.

Carmen illud νουθετικόν, quod hodie fertur et vulgo Phocylidi tribuitur, non est genuinum.

V.

Homerus et Virgilius in ornandis carminibus descripserunt mores sui quisque temporis.

VI.

Indoles Ulyssis Homeri differt ab indole, qualem finxerunt posteriores poëtae, praesertim Sophocles in Philoctete.

VII.

In vetere Aegypto natura regionis et incolarum non favebat poësi.

VIII.

Plato sublimia doctrinae philosophicae placita non ab Hebraeis sumsit.

IX.

Xenophontem, quum decem millia Graecorum ex Persiâ reducebat, non sine exceptione laudandum esse arbitror.

X.

Quo tempore Brutus et Cassius Caesarem interfecerunt, ea erat populi natura ut pati etiam posset rempublicam.

XI.

Quod Graeci artes gymnasticas magni faciebant, et victores multis honoribus ornabant, hoc mihi humanitatis illorum non tantum videtur esse indicium, quantum multi putant.

XII.

Julianus Imperator propter invisum Apostatae cognomen apud posteros immerito male audivit.

ERRATA.

Pag.	51.	lin.	6.	Phaleraei,	*lege*	Phalerei,
»	52.	»	24.	convenit	»	convenit;
»	62.	»	9.	numero	»	numerum
»	89.	»	13.	fovuit	»	fovit
»	96.	»	8.	quos	»	quas

Ceteris ignoscat L. B.